## COROLLARIA.

1. Ante Ferdinandum I. Imp. non fuiſſe Judicium Aulicum falſiſſimum eſt.
2. Petrum Apoſtolum Romæ fuiſſe cum multis orthodoxis Patribus aſſerere non dubitamus.
3. Fabulam ſapiunt quæ de Eginhardi & Immæ matrimonio in Chronico Laurisheimenſi narrantur.
4. Errat Andr. Fauyn. *au theatr. d' honeur livr. 2. chap. 13.* ſcribens; Regi Galliæ ſoli inter omnes Reges Romano-Catholicæ religionis prærogativam tempore coronationis utendi ſacrâ cœnâ ſub utraq; ſpecie competere, quippe cùm vel ex moderni Regis Poloniæ Johannes III. ejusque Conjugis Mariæ Caſimiræ inauguratione, Tripoli Sarmat. d. 2. Febr. 1676. facta, pateat, illos eodem privilegio gaudere.
5. Inſcriptio in Matriculam non eſt nota characteriſtica Status imperii Germ.
6. Contra fidem hiſtoricam eſt nato Chriſto ſtatim omnia conticuiſſe oracula.
7. Licet in coronationibus Reginarum plerumque miſſilia projiciantur, id nunquam tn. in augurationibus Imperatricum factum eſſe hiſtoriarum monumenta teſtantur.

*FINIS.*

2.

# DISSERTATIO CHRONOLOGICA ANTONII PAGI VC. DE PERIODO GRAECO ROMANA,

Paucis abhinc annis primum ab Auctore in GALLIA magno Chronologiae commodo ingenioſe concinnata,

Denuo
Cura et ſtudio
HENRICI LEONARDI SCHVRZFLEISCHII
edita, recognita, et Problematibus uſum eius commonſtrantibus locupletata.

Acceſſit Praefatio, quae Lectorem de ſumma inſtituti commonebit.

*VITEMBERGAE SAXONVM.*
Apud CHRISTIANVM SCHRÖDTERVM, Acad. Typ.
MDCCV.

900820

*Viris multo Nobilisſimis, Conſultisſimis, Amplisſimis, et varia multiplicique eruditione Clarisſimis,*

**DN. IACOBO RICHARDO,**
Iuris Vtriusque Licentiato magnopere celebrato, et Ducatus Saxo Meinungenſis Ordinum Provincialium Conſulenti gravisſimo.

**DN. EMMANVELI RICHARDO,**
SS. Theologiae Candidato, et Philoſophiae ac Artium Doctori meritiſſimo, et Philologo perquam celebri, atque in Linguis et Antiquitatibus maxime Orientalibus verſatisſimo.

**DN. BARTHOLOMAEO CHRISTIANO RICHARDO,**
Amplisſimi Philoſophorum Collegii, quod Vitembergae eſt, Aſſeſſori hactenus digniſſimo, nunc Sereniſſimorum Saxoniae Ducum Bibliothecae, quae in Illuſtri ad Salam Academia eſt, Praefecto meritiſſimo, et Philologo exquiſitisſimo, ac rei praeſertim antiquariae peritisſimo.

# DN. IOANNI FRIDERICO RICHARDO,

Iuris Vtriusque Candidato florentiſſimo, atque omnibus doctrinis liberalibus, quae divini humanique iuris ſacerdotem ornant, excultiſſimo.

*Fratribus ad ſumma nitentibus, et paternas avitasque laudes feliciter imitantibus, Dominis, Fautoribus et Amicis meis ſummo honore proſequendis,*

*S. P. D.*

HENRICVS LEONARDVS SCHVRZFLEISCHIVS.

Circum-

CIrcumſpicienti mihi, quibus diſſertationem hanc inſciberem, veſtra imprimis, Viri multo Nobiliſſimi, obverſantur nomina, veſtraeque virtutes, qvae cum placent Viris dignitate maximis, tum ab amicis transmitti ſilentio non debent. Nam vita et moribus refertis Maiores veſtros: dexteritate et agendi peritia plurimas, et locupletiſſimas animorum dotes continenter ornatis: doctrina, eaque ſingulari et recondita, facile aequales, quos difficultas retardat aut retinet, ſuperatis. Quam laudis materiam vobis reſervatam eſſe gaudeo, quibus rara haec, praeſertim in illo aetatis flore, felicitas contigit, ut ingeniorum cultu, nitore, elegantiaque dicendi, et muneris dignitate, ad optimorum ſimilitudinem temporum proxime accedatis, et paternae avitaeque virtutis poſſeſſionem certam ſtabilemque retineatis. Genere equidem antiquo orti, paterno in Svevis, materno in Thuringis et Heſſis, vetuſtate originis, cum quibusque aliis certare poteſtis: ſed quae veſtra humanitas

manitas eſt, nihil arroganter de vobis dicitis, nihil inſolenter facitis, et modeſtiam praecipue in laude ponitis, atque inter ornamenta familiae propria, more Maiorum numeratis. Currant alii in ſtadio, alii diſcum iaciant, multi in palaeſtra viribus corporum luctentur: Vos in gravitate muneris, et propoſito adipiſcendae laudis non Pythii iſtius, ſed coeleſtis oraculi auctoritas confirmat. Quod ſapientes et doctos divinis nominibus cohoneſtavit, eos maxime, qui ad utilitatem publicam omne ſtudium conferunt, iamque id negotium felici labore confectum habent. Quo nomine gratulor vobis partas nuper dignitates, ut ampliſſimas, ſic iudicio PRINCIPVM, penes quos rerum ſumma eſt, delatas, Procerumque Illuſtrium gravi teſtimonio vere meritoque attributas. Reliquis duobus, in limine honorum ſtantibus, non minora virtutum praemia Sereniſſimi Saxoniae Duces perſolvent, nec modo non graviter ferent praedicationem induſtriae, ſed etiam ultro audient aequiſſimos meritorum iudices, eosque tuendos ultro ſuſcipient, et ſuo pariter auſpicio beneficioque de-

cus

cus ipſorum ultro amplificabunt. Res ipſa declarat, quid et quantum literae, quae perpoliunt animos, Per Illuſtribus debeant Maecenatibus; S. R. I. Baronibus ſplendidiſſimis, IOANNI CHRISTOPHORO de WOLLZOGEN etc. et NICOLAO de LYNCKER, etc. Excellentiſſimis in Veſtrate Saxonia ſanctioris conſilii Duumviris, omni laude maioribus, qui ſeligunt ingenia, et ſecernunt a vulgo, ac Sereniſſimis Ducibus, rerum Saxonicarum arbitris, multum diligenterqve commendaret. Quorum et mihi perſpecta eſt magnitudo animi, et amoris erga ſtudiorum ornamenta, praeſertim ea, quae ab hiſtoria et Chronologia, tanquam copioſo rerum penore, ſubminiſtrantur. Nam et me in utraque diſciplina pro ingenii viribus elaborantem, gratia et benevolentia complexi, nuper Illuſtri propter Salam Academiae deſtinarunt, quorum gloria, dum literae erunt, nulla aetate conſeneſcet, et in meo eruditorumque animis ſemper vigebit. Nefas enim duco, de his tacere Proceribus, quorum in me voluntatem religioſe conſervo, et pari vobiscum animi contentione vota facio, ut maturo

et

et ſalutari eorum conſilio et virtute, Saxonia contra caſus et viciſſitudines temporum firmata, regalis ſplendorem ſtirpis, invicta ſemper et glorioſa tueatur, Secundum hos magnifico PATRI VESTRO, Doctori JACOBO, Antiſtiti ſacrorum Saxo Meinungenſium ſummo, pietatem profiteor, Viro cum antiquis divini coetus Doctoribus vere comparando, ſive ſanctimoniam animi, et doctrinam, qua ceteris praelucet, ſive ſapientiam, et auctoritatem, qua pollet, ſive conſilium, quo abundat, ſive ſolertiam, et iudicium, quod in rebus eccleſiaſticis comprobat, expendo. Quem Deus immortalis religioſiſſimo Principum BERNHARDO, Principem porro Saxoniae literarum ſtatorem, cum univerſa domo et gente Sereniſſima diutiſſime conſervet, ut ſub eius tutela literarum ſtudia perpetuo floreant, vobisque praemia, et honores cumulentur indies, ac fortunentur, labores, et curae tanti Principis praeſidio leniantur, vigiliae denique dignis conditione veſtra beneficiis compenſentur. Hoc aſſidue opto, hoc quibus poſſum votis praeſertim, ſub hoc tempus, quo annum rite auſpicamur, á Numine coeleſti peto, quod res mortalium regit, et conſtanti ordine volens propitium moderatur: id quod tranquillitatem animis, corporibus robur, felicitatem actionibus veſtris, ſervato rerum ſecundarum curſu, benigne cumulateque impertiatur. *Vitembergae Saxonum e Muſeo ipſis Kalendis Ianuariis.*

*A. S. R. cIↄ Iↄcc V.*

# HENRICI LEONARDI SCHVRZFLEISCHII

## *Praefatio ad Lectorem.*

TRado tibi, Lector Benevole, *Antonii Pagi* V. C. diſſertationem de Periodo Graeco-Romana conſcriptam, et Lutetiae Pariſiorum 1689. una cum eius opere Critico-Chronologico editam, me curante, excuſam denuo recognitamque. Quod negotium ut ſuſciperem rogarunt me et obteſtati ſunt docti quidam & rerum Chronologicarum periti iuvenes, ut hanc diſſertationem ſeorſim denuo ederem, cumque laborem hunc per rationes muneris mei refugere non poſſem, poſtulatis eorum locum dedi, et prelo rurſus ſubiiciendam curavi, eo autem conſilio, ut diſſertationis huius a mendis repurgatae uſum Problematum ope, ſubiectis exemplis, una cum ſubiuncta Tabellarum explicatione cultoribus artis commonſtrarem, atque haec ad auctoris mentem, ea qua fieri poſſet dexteritate, inſtituta ſemper connexione Annorum Periodi Iulianae accommodarem. Inter omnes conſtat, periodum ab eruditorū principe *Ioſepho Scaligero* excogitatam eſſe, atque inventam, quae Iuliana appellatur, non ideo, quod cum annorum Iulianorum Epocha commune principium habeat, ſed quia ad rationem anni a Iulio Caeſare ordinati, eiusque cyclos perapte eſt accommodata. Cuius laudis fructum Scaligero eripere voluit *Dionyſius Petavius* V. C. et in temporum rationibus longe exercitatiſſimus, qni Scaligerum hanc ipſam Periodum a Graecis ſumpſiſſe, arbitratur, ſed ipſe a ſe diſſidet, cum velut ſui oblitus alibi fatetur, illam periodum ante Sca-

ſigerum nec cognitam, neque uſu probatam fuiſſe. Quod aemulatione magis, quam veritate adductus ſcripſit Vir maximus, ut inventi huius utiliſſimi gloria auctorem fraudaret. Aequior eſt *Antonius Pagius*, qui conceſſa etiam *Iacobi Vſſerii* ſuſpicione, qua hic ductus periodum Scaligeri primo a *Roberto Lotharingo Herefordenſi Angliae Praeſule* notatam, atque poſt quingentos annos ad dirigendam temporum doctrinam a Scaligero aptari coeptam retur, nihilo tamen ſecius exiſtimat etiam hac in re maximam Scaligero laudem eſſe tribuendam: Equidem haud inficiari poſſum, ſimile aliquid in Tabulis et ephemeridum libris apud veteres, nominatim apud Graecos, eosque Conſtantinopolitanos reperiri, quod eiusmodi ſit, ut ad declarandam Scaligeri periodum, non vero a Graecis arceſſendam referri mereatur. Eſt itaque periodus Iuliana inventum non magis Scaligeri ingenio, quam Dei munere traditum atque conceſſum, luculentum et inſigne omnium Epocharum, quae extant, receptaculum, fundamentumque omnium periodorum, quae rationes Chronologicas firmant, et comprehenſio quaedam ac ſyſtema 7980. annos Iulianos continens: quo ipſo argumento ab omnibus Epochis et periodis diſtinguitur ac determinatur. Etenim Attica Periodus 76. tantum annos complectitur: Metonica anno quolibet 19. finitur. Dionyſiana elapſo 532 annorum ſpatio, eosdem Solis et Lunae Cyclos in orbem redituros oſtendit. Huius autem periodi Iulianae ea eſt ratio, ut, quemadmodum in Epocha Chriſti ſuos quisque annus cyclos habet, ſic quilibet in illa annus ſuos pariter cyclos contineat, qui nunquam in ullo totius Periodi anno ſimul extant et coniunguntur. E. g, primus annus periodi Iulianae

habet

habet Cyclum Solis 1. Lunae 1. Indict. 1. In annis autem totis 7980. nullum praeter primum invenies, cum quo hi tres cycli congruant. Similem in modum de aliis quibusque annis, quia, ut Mathematici norunt, tres iſti numeri 15. 19. 28. ex quorum multiplicatione dicta periodus conſtat,

*Cyclus* Solis 15<br>
*Cyclus* Lunae 19<br>
152<br>
38<br>
532 *Periodus Dionyſiana.*<br>
15 *Cyclus Indictionis.*<br>
2660<br>
532<br>
7980 *Periodus Iuliana.*

ſunt numeri, ut illis loquendi mos eſt, inter ſe primi. Sic facili negotio deprehenditur, cui anno Epochae Chriſti reſpondeant anni Periodi Iulianae V. C. cum quo anno dictae periodi Iulianae conveniat caput Epochae Chriſtianae: cuius hi fuere cycli proprii Solis 10. Lunae 2. Ind. Rom. 4. Etenim primus ille annus neceſſario convenit cum anno 4714. periodi Iulianae, cum idem iſte praeditus ſit iisdem cyclis, qui Cycli in nullo alio totius dictae periodi Iulianae anno reperiuntur. Cum ergo caput Epochae Chriſtianae conveniat cum anno 4714. periodi Iulianae, iam anni 4713. huius periodi praeterierant antequam inciperet Epocha Chriſtiana; quae connexio non tantum procedit in hac Chriſti Epocha, cuius anni ſimiles ſunt annis Periodi Iulianae, eosdemque characteres habent, ſed etiam in omnibus Epochis, praeſertim illis, quae annum Dionyſianum



ſianum

ſianum antecedunt, et de quibus major reſtat difficultas, cum varia ſint eorum annorum principia. Tales enim Epochas omnes Periodus Iuliana complectitur, et quamlibet diſcrepantes includit, eas tuetur ac fulcit et earum una Cyclos offert. Sed ut ad Pagium revertar, et quod in hac diſſertatione ab eo propoſitum eſt, in epitomen, quoad fieri licet, redigam: diu multumque deliberavit ante et meditatus eſt, quomodo methodum periodicam Ioſephi Scaligeri in Epochis cum annis Periodi Iulianae connectendis faciliorem et utiliorem, imo et magis univerſalem redderet, qui labor tandem auctorem non fefellit, ſed poſt longum temporis ſpatium ex animi ſententia negotium ſucceſſit. Quo nomine peculiarem diſſertationem Pariſiis editam, et iam a me recognitam, evulgavit, atque in ea id ſibi negotii dedit, cum intelligeret res, poſt conſtitutum a Chriſto coetum, geſtas, cum iis, quae antea apud Iudaeos et Romanos aliasve gentes acta, cognationem quandam et connexionem habere, ut eodem omnia fulcimento niterentur, periodum concinnavit, quam, quia tres Epochas mundanas, ſeu periodos Chriſtianorum Orientalium in Hiſtoriae Byzantinae ſcriptoribus ab Eccleſiae Graecae monumentis ſaepe memoratas complectitur et ſtatim exhibet, proprio nomine *Graeco Romanam* appellavit. Ea omnium Epocharum ante Chrſtum natnm coeptarum fulcrum et praeſidium eſt, ſingulisque annis Cyclos Solis Lunae ac Indictionis tam veros quam prolepticos exacte repraeſentat, quorum ope variae difficultates prompte, et ſine plurium librorum adminiculo expediri, atque uno veluti aſpectu explicari poſſunt. Id autem hic non debet omitti, quod huius *periodi Graeco-Romanae* quilibet

libet

libet annus perinde ac tres Cycli Solis Lunae et Indictionis a Kalendis Ianuariis auſpicium ſumant. Praeterea non magno labore cognoſcitur, cum quo anno Periodi Graeco Romanae conveniat annus Epochae Chriſti, qui annus eſt XLVI. Iulianus: huius vero cycli, qui ſunt Solis 10. Lunae 2. Ind. Rom. 4. ſi conferuntur cum Cyclis anni Periodi Graeco-Romanae, id neceſſario ſequitur, ut exiſtimem, certoque perſuaſum habeam, primum annum Epochae Dionyſianae cum anno Periodi Graeco-Romanae 5494 congruere, quod etiam vel hoc argumento Cyclorum patet.

*Annus Epochae Chriſti Cyclos habet ut conſtat* 10. Solis. 2. Lunae. Indict. Rom. 4.

*Annus PGR.* 5494 | (6 ☉ — 5494 | (3 ☽ — 5494 | (4 Ind.
28 — 19 — 15

☉ ☽ Ind.
6 3 4
4. A 1. S

10. 2. 4. *Quoniam hi Cycli ſunt ſibi ſimiles certo conſtat annum Epochae Chriſti Dionyſianae primum, cum anno PGR. dato congruere.*

Vt vero Pagius periodum a ſe confectam formaret, occaſione et exemplo Dionyſii factum eſt. Quemadmodum enim is magna et cum immortali laude ſua apud Occidentales Cyclos Alexandrinos et Epocham Chriſtianam invexit: ſic Pagius eius veſtigiis inſiſtens, et Dionyſii conſilium longius promovens, aſſumpſit unam ex tribus mundanis Graecorum periodum integram nec mutatam, atque ad univerſam Latinorum Chronologiam recte inſtituendam et dirigendam

accommodavit, atque adeo quod Dionyſius multa cum laude inchoavit, perfecit Pagius atque abſolvit, atque utrumque ab Orientalibus recte conſtitutum ad Latinos transtulit, eo tamen conſilio atque inſtituto, ut periodus haec ſingulis annis tam ante, quam poſt Natalem Chriſti Cyclos Romanos exhibeat, omniumque Epocharum communis ſedes ſit et firmamentum. Quare doctorum ſermone celebranda eſt Pagii opera, quam in nova periodo adornanda collocavit, et Ioſepho Scaligero in hoc laudis genere palmam fere dubiam fecit, uel ideo, quod tres Graecorum Epochas in unam reduxiſſet, eamque Latinam feciſſet, atque magis univerſalem reddidiſſet, ut omnium perinde Orientalium atque Occidentalium commune, et fallendi expers receptaculum eſſet, idque non *prolepticum* tantum, ut loquntur artifices, et mera quadam contemplatione nixum, ſed ex Graecorum monumentis animadverſum, et annalibus Chronicisque ipſorum continenter affixum, ſua ſe paſſim utilitate et merito commendaret. In hanc ſententiam ſcripſerunt Viri noſtra memoria clariſſimi *Ioan. Cl. Viany*, ac *Ioan. Antelmius* et periodum Paginam, tanquam ad omnes poſteros manſuram ingenue, uere et copioſe praedicarunt. Accedit, quod Pagii univerſum opus Critico Chronologicum in hac periodo innixum ſit, totaque tanti operis moles huius praeſidio, quantacunque ſit, communiatur, adeo quidem ut nulli horum Voluminum Pagii intelligendorum facultas ſit, niſi adiumenta ab hac periodo Pagiana accipiat et mutuetur. In extremo celare nolui hoc genus ſtudii noſtra memoria cultum maxime, et feliciter inſtauratum eſſe a Pagio, quem ſubinde excitavit Illuſtriſ-

ſimus

ſimus Romae purpuratus Noriſius, cuius exemplum nouiſſime calcar addidit Guilielmo Boniourio Toloſano, ut confectum redderet Kalendarium Romanum ad Novilunia Civilia ſine tabulis Aſtronomicis accurate et facile ante et poſt Chriſtum natum invenienda, ſecundum rationem Periodi annorum 1932. quam periodum appellavit Noriſianam. V. g. Sit annus Chriſti et periodi Noriſianae 45. quo eclipticum novilunium contigit Kalendis Auguſti, natali die Claudii Imperatoris Feria I, ſive Dominica ex calculis Petavii: Ait enim is *l. 8.* de Doctrina temporum, editionis Pariſienſis p. 823. (vel in recentiori editione, quam inſpicere mihi integrum fuit p. 517.) *Calculus deliquii Solaris quod factum Anno Chriſti XLV. M. Vinitio II. et Statilio Corvino Coſſ. anno V. Claudii Caeſaris. Aureus numerus VIII. Cyclus Solis XXVI. lit. C. Novilunium medium Lutetiae commiſſum eſt Auguſti 1. Feria 1. hora poſt mediam noctem 14. 23. 34. Romae hora 15. 13. 34.* Quam Petavii ſententiam etiam confirmat Dio l. 60. cum ibidem ait: M. Vinicio et Statilio Corvino Coſſ. A. V. 798. Chriſti 45. Claudium Imperatorem, *quia natali ſuo defectus Solis futurus erat*, veritum eſſe, ne populus eclipſi ductus male de eo loqueretur, propterea edicto propoſito, evulgavit, eclipſis cauſas naturales eſſe, ordinemque publice expoſuit. Ad hanc et accedit Suetonius c. II. in vita Claudii: Cuius verba haec ſunt: natus erat *Kalendis Auguſti.* Vtrique aſſentitur Kalendarium Gruterianum p. 134. Quaeratur nunc idem illud Novilunium Eclipticum ſecundum viam rationemque periodi Noriſianae cum ſua feria in Kalendario Romano. *Annus datus Chriſti et Periodi Noriſianae* 45. huic reperitur affixus numerus tetraetericus 222. in linea Cycli Solis 26. Deinde ingredior Tabulam Tetraetericorum et exſcerpam Epactam huic numero tetraeterico 222. reſpondentem quod

ſi ſiat,

ſi fiat, praeſto erit Epacta Romana ipſi congruens XXIV. Mox notata litera Dominicali C, quae reſpondet Cyclo Solis 26, conſulatur Kalendarium Romanum, et Epacta antea quaeſita in Menſe Auguſto denuo exquiratur, quam affixam reperio primo diei Auguſti: quod certum et evidens argumentum eſt Novilunium in hoc anno dato iſta die contigiſſe. Praeterea et litera Dominicalis C, quae eisdem Kalendis aeque congruit, deſignat Novilunium hoc, in Feriam I. ſive Dominicam incidiſſe. Quae cum eiusmodi ſint, ut cum Petavii calculo conſentiant, eo pacto conſtabit Novilunium hoc, ſecundum viam rationemque periodi Noriſianae, cum ſua Feria in Kalendario Romano rite eſſe inventum. Idem exemplum alio modo per Calendarium Aſtronomicum perpetuum Boniourii quod Kalendario Romano ſubiecit, examinatur. Datus annus eſt 45, quo eclipticum novilunium, ut antea dictum, ex rationibus Petavianis l. VIII. de Doctrina temporum, ſecundum medios motus, fuit Auguſti die primo, hora poſt mediam noctem Romae 15. 13'. 34''. quae haud dubie ex mente eius conſtituenda eſt hora 3. poſt meridiem 13'. 34''. Nunc ex periodo Romana anno Domini 45, aſſignandus eſt numerus Tetraetericus 549. Cui epacta reſpondet D. 24. H. 2. M. 39. et in lunatione octava Calendarii Aſtronomici ſeſe exhibet novilunium medium Auguſti die primo hor. 3. 5' poſt meridiem. Ex quibus cognoſci poteſt, rationes hoc modo recte eſſe ſubductas. Sed hæc obiter. Nihil addam de Anglia, quam his temporibus Loydius et Dodwellus in Chronologiae ſtudio illuſtrant. Cum vero de eorum, qui artem faciunt, laude meritisque nihil detractum uolo, tum clariſſimum Magliabechium ſilentio praeterire non poſſum, qui doctrinam temporum inſigniter adiuvit, atque ex bibliotheca Auguſta doctrinae huius ſubſidia, per conſtitutos eam ad rem, qui Codices et Faſtos manu exaratos deſciberent, eruditos homines, Florentiam curavit, et cum Noriſio, qui in principe Etruriae Urbe tum degebat, perliberaliter communicavit. Haec ſunt, quorum cauſa, BENEVOLE LECTOR, te admonere volui, ut quale hoc inſtitutum ſit, ſummatim exponerem, conatusque meos, ad locupletandum Chronologiae ſtudium pertinentes, ſimul tibi approbarem, et ingenuos honeſtosque iuvenes in propoſito liberali et induſtria excolendae huius artis pro virili confirmarem.

# DISSERTATIO DE PERIODO GRAECO-ROMANA.

SCALIGER ante centum et aliquot annos, (libros enim ſuos *de Emendatione Temporum*, anno Chriſti MDLXXXIII, Pariſiis primum in lucem emiſit) modum tradere volens, quo Chronicon abſolutiſſimum confici, Chronologiaque ad maiorem perfectionem perduci poſſit, docuit, *anno Iuliano* tanquam vero temporum elencho, ſtabilique fundamento, opus ſuperſtruendum eſſe; quod contextus temporum ſine anno Iuliano, ſit velut navis ſine velis, ramis et armamentis; ideoque eam anni formam adhibendam eſſe, non modo rebus explicandis illius inſtitutione poſterioribus; ſed prioribus etiam, et ab ipſo Orbis initio geſtis: quamvis aliam tum anni formam, imo quaelibet fere natio propriam haberet. Ulteriusque progrediens, Chriſtianorum Orientalium imitatione *Periodum* artificialem compoſuit, quam *Iulianam* vocavit, quae omnes Eras complectitur, omniumque fere vicem gerit. Conſtat ea e tribus Cyclis, Solis, Lunae et Indictionum in ſe ductis, vel eſt Periodus Dionyſiana DXXXII. annorum per XV, ſeu per circulum indictionis, multiplicata. *Nam ſive XIX. annos per XXVIII. multiplices, ſive hos*

I. *Uſus anni Iuliani & Periodi Iulianae in Chronicis.*

*per illos, numerum eundem efficies* DXXXII, inquit Sanctus Maximus Martyr in Computo Eccleſiaſtico cap. 18. Cuius periodi Iulianae ſumma eſt annorum 7980. eaque conditio, uti duo quilibet Cycli in eundem annum concurrentes, alteri in tota Periodo convenire nequeant; ſicque anni omnes miro modo inter ſe diſtinguantur, notis ſcilicet illis, et characteribus temporariis. Annus enim Iulianus v. g. XLV, in quem Natale Chriſti Dionyſianum omnino conferri debet, Cyclo Lunae I, Solis IX, Indictionis III. notatur; quos Cyclos annus Periodi Iulianae 4713. ſi per XIX, per XXVIII, et per XV. partiatur offert; quosve nullus alius eiusdem Periodi annus exhibere poteſt.

II.
*Periodo Iuliana omne temporum ſpatium includit.*

Ea itaque Periodus omnium temporum, ideoque et omnium Annalium initia antecedit. Cum enim primus Erae Chriſtianae annus illigetur anno eius 4714. (Latini quippe annum primum Chriſti, non a die XXV. Decembris Natali Chriſti ſacro, ſed a Kalendis Ianuariis inſequentibus auſpicantur) tempora, quae ab Orbe condito fluxere, praecedentibus Periodi Iulianae annis attribuenda; ſi quis tamen tantum annorum numerum Natale Chriſti anteceſſiſſe exiſtimaverit. Verum enim vero cum Chronologi, paucis exceptis qui ad LXX. Interpretum calculos adhaerent, ex Hebraicis et Latinis Bibliorum Codicibus intervalla ſubducant, nullusqve plures quam quatuor mille et aliquot centenos annos ante Natale Chriſti praeteriiſſe arbitretur; hinc fit, ut *Periodus Iuliana* ante omne temporum ſpatium *prolepſi* quadam mathematica incipiat; ſicque in illam Chronologiae omnes Scriptorum Latinorum includantur, et in ea ſedem inveniant. Etenim Romana et Occidentalis Eccleſia fixam et immutabilem Chriſti annorum epocham retinet, de qua inter omnes convenit; cum nullus ſit qui hunc ipſum, in quo verſamur, annum non numeret MDCLXXXVIII, a qualicumque anno Iuliano, et initio Chriſti Natale deducat: Magna quidem de anno quo Chriſtus natus, inter Chronologos, etiam eruditiſſimos, controverſia; omnes tamen annos Chriſti eodem modo computant; neque qui Chriſti Nativitatem anno v. g. Iuliano XLI. affigendam cenſent, maiorem annorum ſummam colligunt, quam qui vel ante illum annum Iulianum, vel uno aut altero poſt eum, Chriſtum in mundum veniſſe arbitrantur. Quare annus Periodi Iulianae 4713. in quem Natale Dionyſianum coniiciendum, cardo quidam eſt Chronologiae, ideoque qui cum Uſſerio v. g. annos 4003. et aliquot menſes mundum Erae Chriſtianae principio anteriorem eſſe putant, eius conditum cum anno Periodi Iulianae DCCX. coniungunt. Qui cum Petavio Natalem Chriſti vulgarem in finem anni ab Orbe condito 3983. cadere volunt, primum annum mundi cum anno Periodi Iulianae DCCXXXI. inchoant; et ſic de aliis Chronologorum ſententiis: cum, uti mox dixi, nullus ex iis, qui ſupputationem Hebraicam Bibliorum ſequuntur, plures annos quam 4713. imo nec tantam annorum ſummam ante Chriſtum fluxiſſe tradat. Ex quo quanta ſit huius Periodi in rebus Chronologicis utilitas, quilibet facile intelligere poteſt.

III.
*Omnium temporum menſura.*

Primum enim eius beneficio tam certorum quam incertorum ante Chriſtum temporum certam menſuram habemus. Cum enim qui annos ab Orbe condito numerant, in tanta opinionum varietate verſentur, ut vix alter cum altero conſentiat, ſi quaeratur v. g.



quo

quo ante Chriſtum anno prima Olympias coeperit, invenies *Petavium* eius initium cum anno mundi 3208. *Uſſerium* cum anno mundi 3228 alioſque Chronologos cum aliis mundi annis copulaſſe: neque magis certus eris, poſtquam varios hac de re Chronologos conſulueris, niſi prius diſcas, quot a mundo condito ad primum Chriſti annum quilibet computet annos. Contra vero ſi Periodum Iulianam Scriptor, quem ad hanc difficultatem ſolvendam leges, adhibeat, nullo ſtatim negotio agnoſces, quot annis initium primae Olympiadis ab Era Chriſtiana diſtet; neque opus erit, ut ſcias quot ille annos ante Chriſtum mundo attribuat. Nam cum annus primus Olympiadis minime controverſus ſit, omnes illum in annum Periodi Iulianae 3938. notatum Cyclo Lunae V, Solis XVIII, Indictionis VIII. niſi errare velint, coniicere debent. Eadem ratio eſt de aliquo tempore incerto, v.g. de anno mortis Homeri, Poetarum Graecorum Principis; alter quippe eam uni anno mundi, alter alteri connectit: ſicque quot ante Chriſtum annis eam accidiſſe putent, ab iis diſcere non poſſumus, niſi nobis conſtet, quot annos mundi ante Chriſtum natum elapſos fuiſſe ſupponant. Quod incommodum Iulianae Periodi ope vitatur; non quod rei incerto tempore geſtae certum annum repraeſentet; ſed quod eam coniungat cum anno, quem ante Chriſtum eſſe, milleſimum v.g. nullus negare poteſt.

IV.

*Retrograda annorum numeratio errori obnoxia.*

Falluntur autem qui credunt, *retrogradam* annorum Eram Chriſtianam antecedentium *numerationem* ad id ſufficere, ſi videlicet dicatur, primam Olympiadem v.g. anno ante Chriſtum DCCLXXVI. celebratam, vel Urbem Romam anno ante Chriſtum DCCLIII.



conditam. Nam hic ſupputandi modus Cyclos cuilibet anno proprios repraeſentare non poteſt, ex quibus tamen varia commoda ad rem Chronologicam redundant. Et deinde ea numeratio tum moleſta, tum errori etiam, niſi ſaltem maior attentio adhibeatur, admodum obnoxia. Quod etiam apparet, in annis qui poſt Chriſtum praeteriere, cum iis qui praeceſſere, componendis Scire volo v.g. quot annis Iulii Caeſaris nex ante Conſtantini Magni Imperium acciderit, ſeu quot anni a Iulii morte ad Conſtantini initium effluxerint, ſi Periodo Iuliana non utar, mihi ſupponendum, Iulium occiſum anno XLIV. ante Chriſtum, dein ab anno Chriſti CCCVI. quo Conſtantinus regnare coepit, ad primum Chriſti annum, ac denique ad annum XLIV. ante Chriſtum retrocedendum: ſicque colligo, Iulium interemtum quinquaginta ſupra trecentos annos ante Conſtantinianum Imperium. Verum intervallum illud Iulianae Periodi opera facilius certiusque eruitur. Trucidatus enim Iulius anno Periodi Iulianae 4670. et Conſtantinus anno eiusdem Periodi 5019. Imperium ſuſcepit. Quare, cum ab anno 4670. ad annum 5019. elapſi ſint anni CCCXLIX, certum inter Iulii mortem et Conſtantini initium annorum ſpatium comperio eſſe annorum CCCXLIX. Cumque conſtet, Iulium die XV. Martii peremtum, Conſtantinum autem die XXV. menſis Iulii Auguſtum renunciatum, invenio mortem illam contigiſſe annis CCCXLIX. menſibus quatuor, ac diebus decem ante Imperium Conſtantinianum. Poſſemus quidem hanc annorum interiectionem per epocham Urbis conditae dimetiri, numerando ſcilicet ab anno Urbis DCCX. quo ea caedes patrata, ad annum Urbis 1059. quo Conſtanti-

ſtantinus Imperator creatus. Sed praeterquam quod annus Urbis a Kalendis Ianuariis inchoandus eſſet, uti de facto Hiſtoriae Auguſtae Scriptores, cum tempora per Conſules digeſſere, auſpicatos eſſe exiſtimo; cum numerandi ſunt anni exempli cauſa, qui a Troia capta ad Conſtantini exordium intercurrerunt, ea menſura uſui eſſe non poteſt; quia Troia longe diu ante Romae conditum expugnata. Quare ad epocham artificialem identidem neceſſario recurrendum.

V. *Periodus Iuliana omnium Erarum fulcrum.*

Secunda Periodi Iulianae utilitas in eo ſita, quod ſit omnium Erarum, praeſertimque earum quae Eram Dionyſianam antecedunt, de quibus maior difficultas, fulcrũ et ſuſtentaculum; v.g. Olympiadum annorum Urbis, Alexandreorum, aliorumque: eoque magis quod varia ſint eorum annorum principia. Nam Graeci ab aeſtivo Solſtitio annos ſuos inchoabant: idque Olympiadum initium erat. Romani conditae Urbis epocham a verno tempore auſpicabantur: Syro Macedones ab autumno: aliique ab alio certo fixoque primordio annos ſuos incipiebant. Quae omnia non parvam Hiſtoriae Chronologiaeque ſtudioſo moleſtiam, et plerumque non mediocris erroris occaſionem praebent, dum ſcilicet diverſiſſimos annos inter ſe componunt. Ex quibus eum Iuliana Periodus educit; cum a Kalendis Ianuariis exordiens, et quamlibet diſcrepantes epochas includens, eas ſuſtentet, earumque Cyclos offerat.

VI. *Memoriam iuvat.*

Tertia denique Periodi Iulianae commoditas eſt, quod ad memoriam ſublevandam, ac praecipuos Hiſtoriae cardines ſimiliter retinendos magnopere confert. Si enim pauciſſimarum epocharum annos in Periodo Iuliana memoriae commendaveris: ut puta annum primum Chriſti ſciveris eſſe eiusdem Periodi 4714. Olympiadis vero 3938. et primum Urbis Conditae annum 3961. ex Varroniana putatione; reliquas Hiſtoriarum epochas, quarum ad aliquem ex illis cardinibus intervalla cognoſces, levis additionis vel ſubtractionis labore, ſuis temporibus aſſignabis, in quacunque demum Chronologia. Exempli cauſa, Iulii Caeſaris mors contigit anno Varroniano DCCX. Ad annos itaque 3960. adiice 710. fient anni Periodi Iulianae 4670. Eo anno Caeſar interfectus eſt. Volo ſcire quoto id anno contigerit ante Chriſtum; de 4713. tollo 4669. reſtant XLIV: igitur anno ante vulgarem Natalem XLIV. Iulius Caeſar occiſus. *Credi vix poteſt*, inquit Petavius lib. 7. de Doct. Temp. cap. 8. *quam expeditum ſit hoc negotium, quamque nihilominus accuratum: ut qui ſe in Periodi iſtius uſu gnaviter exercuerit, Chronologiam ſecum ambulantem, non* in chartis et libris deſidentem habeat. Libro vero 9. cap. 6. ait: *Hoc ademto praeſidio coeca et obſcura eſt Annalium ſeries; nec niſi per ambages, annorum ſitus explorari poteſt.* Verum quidem eſt, eam non ſolum ubi a Scaligero propoſita ſed etiam poſtea per viginti et amplius annos tam ab imperitis quam a plerisque Viris doctis vel contemtam, vel rejectam. Sed temporis progreſſu hoc inventum tantae utilitatis iudicatum, ut Chronica, quae eo ſubſidio, vel ſaltem Cyclis deſtituta in lucem prodiere, non magnam opinionem Auctoribus exiſtimationemque pepererint, et Chronologiae promovendae parum inſervierint. Hoc Virorum in Chronologia principum ſincerum ac verum de Periodo Iuliana iudicium.

VII. *Methodus Periodica magis perfici poteſt.*

Sed, cum quae ab aliis inventa poſſint magis promoveri ac augeri, ut hanc methodum Periodicam faciliorem ac utiliorem redderem in animum induxi, quem

quem finem ut aſſequerer, non parum temporis inſumſi: venit enim in mentem, quod ſcribit Nicephorus Gregoras initio Explicationis ſuae in librum Syneſii de inſomniis: οὐδὲν καινὸν εἰ πολλὰ τῶν πάλαι κακῶς εὑρημένων, καινοτομοῦσιν ἐπὶ τὸ βέλτιον, ὥσπερ ἐκ χρονικῶν περιόδων ἐπ' ἄλλαις ἄλλα μεγάλαι φύσεις βλαστάνουσαι, εἴτε τοῦ χρόνου φύσιν ἔχοντος ἄλλα ἐπ' ἄλλοις ἀεὶ ἐπιφέρειν καινότερα, εἴτε τῆς τῶν ἀνθρώπων φύσεως ἀμηχανούσης εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἐπὶ τὸ ἐντελέες. id eſt: *Nihil novum neque abſurdum eſt, ſi permulta quae quondam ſumma cum difficultate adinventa fuerunt, in melius immutentur: Quemadmodum e converſione et circuitu temporum ſuper aliis aliae magnae vehementesque naturae germinant et oriuntur, ſeu ipſo tempore ita comparato, ut ſemper alia ſuper aliis recentiora afferat, ſeu ipſa humana natura ſtatim a principio ad id quod in ſuo munere abſolutum eſt, pervenire nequeat.* Scaliger Graecorum exemplo, Cyclorum Solis, Lunae et Indictionis circulos uſui Chronologiae adaptavit, et artificioſam illam epocham concinnavit; aut ſi verum eſt quod ſuſpicatur Uſſerius in Praefatione ad Annales veteris Teſtamenti, a Roberto Lotharingo Herefordenſi in Britannia Epiſcopo primum notatam, poſt quingentos annos ad Chronologiam dirigendam accommodavit; qua etiam in re magnam gloriam adeptus eſſet. Sed nullus, opinor, negaverit, quin ſi aliqua Periodus commodior univerſaliorque haberi poſſit, in illius locum ſubroganda ſit, et ambabus, ut ita dicam, manibus amplectenda.

VIII. *Quod Dionyſius Abbas coepit, Auctor abſolvit.*

*Dionyſius Exiguus* Abbas Romanus, qui Iuſtiniano Magno imperante floruit, duo ab Orientalibus ad Latinos tranſtulit, Eram ſcilicet Incarnationis; ac Cyclos Solis, et Lunae Alexandrinos: Scaliger vero Orientalium imitatione Periodum Iulianam, cuius utilitates





mox explicavimus, efformavit. Verum ſi quod *Dionyſius* magna cum laude coepit, abſolvi poſſit, et una ex Periodis mundanis integra, et immutata ad univerſam Latinorum Chronologiam regendam accommodari, nunquid res ipſa eius imagini praeferenda erit; praeſertim ſi maiora ex illa, quam ex hac, in rem Chronologicam emolumenta ſint redundatura? Hoc mihi in hac Diſſertatione propoſitum eſt, quod conſecuturum, Deo dante, ſpero, poſtquam de Era Incarnationis, de Cyclo DXXXII. annorum, ac de tribus Eris mundanis Graecorum aliqua diſſeruero.

IX. *Ante Eram Incarnationis Chriſtiani Occidentales nullam propriam habuere.*

Prioribus Eccleſiae ſeculis Chriſtiani Occidentales non alia annorum numerandorum forma, quam Gentiles ac Romani utebantur. Tandem Dionyſius Cyclo XCV. annorum a Sancto Cyrillo Alexandrino Epiſcopo compoſito alium totidem annorum ſubſtituens, eum annis Diocletiani, quod a Cyrillo praeſtitum fuerat, illigare noluit; ſed annis Incarnationis: eaque occaſione Era illa ad Latinos ab eo tranſlata. Haec Dionyſii verba in prima ſua epiſtola, data *Philoxeno ac Probo Coſſ.* anno nempe Chriſti DXXV. poſtquam de Cyclo ſuo XCV. annorum locutus eſt: *Quia vero Sanctus Cyrillus primum Cyclum ab anno Incarnationis* CLIII, (qui anno Chriſti CDXXXVI. inchoatus eſt) *coepit*, et *ultimum* in CCXLVII. (qui anno Chriſti DXXX. exorditur) *terminavit: nos a* CCXLVIII. (anno Chriſti DXXXI. inchoato) *anno eiusdem Tyranni potius quam Principis inchoantes, noluimus Circulis noſtris memoriam impii, et perſecutoris innectere: ſed magis elegimus ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti annorum tempora praenotare: quatenus exordium ſpei noſtrae notius nobis exiſteret; et cauſa reparationis humanae, id eſt, Paſſio Redemptoris noſtri evidentius*

*eluceret.* Duae Incarnationis Erae in Oriente inſtitutae fuerant; quarum altera primum Incarnationis annum in annum Iulianum XLIII, altera in annum Iulianum XLV. confert. Priori uſus eſt Euſebius in Chronico; et poſterior Panadaro Monacho Aegyptio, qui Arcadii Imperatoris et Theophili Alexandrini Epiſcopi tempore vixit, a Georgio Syncello in ſua Chronographia attributa. Epiphanius haereſi 66. paragrapho 20. eius meminiſſe videtur; cum ait: *Ab Aſcenſione Chriſti ad Manen Haereticum, et Aurelianum ac Probum Imperatores* (alterum ſcilicet excedentem, alterum ineuntem) *annos ſubduci* CCXLVI. *aut ſecundum alios* (a Nativitate ſcilicet, non, ut ibidem habetur, ab Aſcenſione Chriſti) CCLXXVI. Plane iuxta Eram Dionyſianam, qua initium Probi Imp. in annum Chriſti CCLXXVI. incidit. Dionyſio poſterior haec Incarnationis Era magis probata fuit, ideoque et eam Circulis ſuis innectere voluit.

X. *Era Incarnationis a Graecis ad Latinos translata.*

Carpit non ſemel Scaliger Dionyſium, quod Eram Incarnationis biennio breviorem, quam par fuiſſet, compoſuerit, *quod utinam nunquam in mentem veniſſet, aut illi hoc imperandi, aut nobis parendi*, inquit in lib. 6. de Emendat. Temp. pag. 548. ubi pro certo ponit, Natale Chriſti contigiſſe anno Iuliano XLIII. quod ideo Eram Chriſtianam inchoatam fuiſſe vellet. Idem eſt Calviſii, aliorumque Chronologorum de Erae Dionyſianae initio iudicium. Verum nulla incarnationis Era a Dionyſio inſtituta, ſed ea tantum, quam *Panadorus* Monachus aut ſecutus fuerat, aut forſan concinnarat, ab eo ad Latinos translata, ut certo diſcimus ex Chronographia Georgii Syncelli, quam Iacobus Goar clariſſimus Dominicanus poſt Scaligeri et Calviſii mortem publici





iuris fecit. Ex eo enim opere ſub finem octavi Eccleſiae ſeculi aut ſequentis initio promulgato, liquet, Panadorum annum Incarnationis illigaſſe cum anno mundano. Antiocheno 5493. Ideoque cum anno Iuliano XLV. ut eius exemplo poſtea a Dionyſio factum. Imo altero poſt Dionyſium ſeculo *Conſtantinopolitani* eandem Incarnationis Eram adoptarunt, neglecta ea quam Iulius Africanus, Euſebius aliique amplexati fuerant. *Solent Graeci ut plurimum*, inquit Allatius in Opuſculo de Hebdomadibus Graecorum, *imo ſere ſemper, dum annos recenſent, non a Chriſto nato, ſed ab Orbe ipſo condito numerare, &c. Calculus modo Eccleſiae Orientalis qui fere apud omnes ſolennis eſt, et quo omnes non tantum ad dirigenda tempora, et feſtorum indicandas ſolennitates, ſed inter commercia et congreſſus familiares utuntur, is eſt, ut ab Orbe condito ad Chriſtum natum annos 5508. numerant. Quare hic tantum numerus ſubtrahendus: qui remanet, erit annus a Chriſto nato.* Unde Era Chriſtiana eadem hodie eſt apud Latinos et Conſtantinopolitanos; cum hoc tamen diſcrimine, quod hi eam ab Incarnatione, illi a Nativitate vocant, ac praeterea quod Latini ea in omnibus ferme Actis publicis, Graeci vero nunquam fere utantur: quod et de Moſcovitis, qui noſtro tantum ſeculo ſeſe a Patriarchae Conſtantinopolitani iurisdictione ſubtraxere, dicendum. Commodius tamen annos 5509. ex Era Conſtantinopolitana ad annos Chriſti cum illa coniungendos detrahes, ut infra videbitur.

XI. *Incarnationis Era non ſtatim ab omnibus recepta.*

Hanc Incarnationis Eram eo lubentius Occidentales amplecti debuere, quo iam Imperium Occidentale defecerat, et regiones, quae olim Imperatori Occidentali paruerant, variis Regibus tunc parebant.

Praeterea ſupputatio per Conſules, quae etiam non multo poſt Dionyſii mortem uſurpari deſiit, non parum tunc incommoda erat, dum Conſul alter in Oriente alter in Occidente renuntiaretur, et non raro contingeret, ut in Occidente ignoraretur quis in Oriente Conſul deſignatus fuiſſet. Nihilo tamen minus Era Incarnationis non ſtatim ab omnibus recepta. Scribit Scaliger eam in Gallia non admiſſam niſi tempore Caroli Magni. Eius tamen mentionem invenio in Diplomate a Carlomanno dato, in quo memoratur Incarnationis annus DCCXLII, ut videre eſt in Capitularibus Regum Francorum ab eruditiſſimo Baluzio publicatis. Quare prima Francorum Regum ſtirpe deficiente, haec Era paulatim in uſum vocata. Et quidem in Gallia et Belgio annus incipiebat a Paſchate, in Anglia, uti etiam hodie a die XXV. Martii Annunciationis B. Virginis ſacro, et nonniſi anno MDLXIV. Caroli IX. edicto in Gallia annus a Kalend. Ianuarii inchoari coeptus. In Belgio vero anno MDLXXVII. a Kalend. Ianuariis annus inchoatus, teſte Auberto Myraeo in Chronico. Longe tardius in Bullis Summorum Pontificum Era Incarnationis expreſſa. Eugenius enim IV. primus fuit, qui anno MCDXXXI. ſuaſu Blondi Eram Incarnationis in Bullis adhibuit. Denique non niſi a paucis ſeculis Hiſpani et Luſitani *Eram Hiſpanicam* abrogarunt, et in eius locum Dionyſianam ſubſtituerunt. *Quoad Eram Diocletianeam*, quam Dionyſius loco laudato Cyclis ſuis ſeſe illigare noluiſſe tradit, ea nunquam ab Occidentalibus in Actis publicis uſurpata, imo neque ab Orientalibus, praeterquam a Chriſtianis Aegyptiacis, qui et etiamnum ea utuntur. Fatendum tamen hanc Eram omnium eſſe antiquiſſimam,



mam, quae a Chriſtianis inſtituta fuerit. In reliquo enim Oriente, Chriſtiani, uti in Occidente, in Scriptis publicis ſignandis a Gentilibus non diſcrepabant. Quare in Syria Eram *Seleucidarum* ſeu annos Alexandreos, ut Gentiles ac Pagani, adhibebant, imo et ea etiamnum apud Chriſtianos Surianos in uſu eſt, ut patet ex illorum Computo Eccleſiaſtico a Scaligero in fine librorum de Emendat. Temp. publici iuris facto.

XII. *Cycli Alexandrini ad Occidentales a Dionyſio tranſlati.*

Non tantum Eram Incarnationis, ſed et *Cyclos Alexandrinos* Dionyſius in Occidentem invexit. Quamvis enim, ut ſcribit Petavius lib. 6. de Doct. Temp. c. 5. Paſchalis controverſia Nicaeni Concilii auctoritate ſublata videri poſſet, eique proviſum in perpetuum fuiſſet, cum Epiſcopo Alexandrino mandatum eſt, ut quot annis celebritatis illius tempus indiceret: graves nihilominus ab eo tempore eadem de re rixae et diſſenſiones extitere. Neque Alexandrinorum Graecorumque decreta totus Occidens initio amplexus eſt: ſed plerique peculiaribus ſeſe Legibus ac regulis obſtrinxerunt. Nam aureos numeros in Kalendariis ſuis aliter inſtituerunt, et emboliſmaeos annos non eoſdem obſervarunt. Paſchales quoque termini ſuo quodam, et Alexandrinis contrario more deſcripti. Hinc flagrantiſſimae illae Latinos inter et Graecos altercationes exortae; quae in aperta nonnunquam odia, Eccleſiarumque diuortia proruperunt. Primus apud Occidentem Dionyſius, quo ſuos cum Alexandrinis in concordiam adduceret, damnata Latinorum methodo, aureos numeros, totamque Paſchatis celebrandi rationem ex Alexandrinorum Faſtis in Romanum Kal. tranſtulit.

XIII.
*Nonniſi temporis progreſſu ab omnibus recepti.*

Quae res, ut ſubiungit Petavius, non omnibus Occidentis populis initio probata, paulatim apud illos obtinuit. Ita demum abrogatis, extinctiſque Latinorum numeris, Alexandrini omnibus in Romani Orbis Kalendariis eorum loco ſubſtituti ad Gregorii XIII. Pontificis Romani tempora perſeverarunt. Sed cuius prima illa et nativa numerorum aureorum, ſeu Cyclorum Lunae diſpoſitio a Dionyſio conſtituta fuerit, nequaquam inter Auctores convenit. Nam neque numerorum illorum ſitus in vulgatis Kalendariis unus idemque deprehenditur; et ſunt qui veterem ac Dionyſianum contextum a poſterioribus interpolatum fuiſſe cenſeant. Qua de re fuſe docteque diſſerit Petavius citatus, qui ideo conſulendus: in hoc enim Opuſculo non niſi quae certiora videntur, referenda.

XIV.
*Dionyſius Cyclos XCV. et DXXXII. annorum compoſuit.*

Licet autem inter eosdem Auctores etiam non conveniat, an Dionyſius Cyclum tantum XCV. annorum, quem Cyrilliano totidem annorum ſuccedere voluit, an etiam Cyclum DXXXII. annorum, qui *magnus Cyclus* Paſchalis communiter appellatur, etiam compoſuerit et Petavius, qui tomo I. de Doct. Temp. utrumque ei attribuit, in poſteriori eam opinionem retractarit, ac Dionyſium Cyclum tantum XCV. annorum deſcripſiſſe autumaverit; tamen Dionyſii verba in prima ſua Epiſtola laudata clariora ſunt, quam ut nos ea de re dubitare ſinant. *Hoc monemus*, inquit, *quod Cyclus iſte nonaginta quinque annorum, quem fecimus non per omnia in ſe ipſum revertitur; et ideo poſt expeditionem nonaginta quinque annorum, non ad quintum Cyclum Sancti Cyrilli, qui incepit Cyclos ſuos ab anno centeſimo quinquageſimo tertio Diocletiani, quorum quintum Cyclum neceſſario nobis propoſuimus, ſed ad noſtram* PRIMUM CYCLUM, *quem*





*nos ab anno ducenteſimo quadrageſimo octavo eiusdem Diocletiani incepimus, Lector accurrat.* Dionyſius itaque duos Cyclos condidit, alterum ut Cyclos a Cyrillo compoſitos continuaret, de quo ſolo Cyclo in duabus ſuis Epiſtolis loquitur; alterum, quem loco laudato vocat *primum*, DXXXII. annorum cum Era Incarnationis inchoandum. Cum enim Cyclus Cyrilli XCV. annorum ſubſtitutus in orbem non rediret, et eo deſinente, novo XCV. annorum opus eſſet, Dionyſius, ut in plures annos Paſchatis dies haberi poſſet, compoſuit Cyclum magnum Paſchalem DXXXII. annorum: quo ſpatio exacto, omnes neomeniae, et omnia feſta mobilia in eundem diem menſis, et in easdem ferias redeunt. Hinc eius initium duxit, non a Cyclo Lunae Soliſque primo, ſed a Cyclo Solis nono, Lunae primo; cum tamen Periodi natura hoc poſtulare videatur, ut primus amborum Cyclorum annus ſimul incipiat. Verum, cum Dionyſius Cyclum DXXXII. annorum ab Alexandrinis ad Latinos transferret, illum Cyclo Lunae I. et Solis IX exordiri debuit. Annus enim mundi Alexandrinus 5777. qui menſe Septembri anni Dionyſiani CCLXXXIV. initium ſumit, et cum primo Diocletiani die XVII. Septembris eiusdem anno Auguſti nuncupati, concurrit, diviſus per XIX & XXVIII. Cyclum Lunae I. et Solis IX. relinquit. Cyclos autem Graecorum a primo Diocletiani anno inceptos fuiſſe, extra controverſiam eſſe debet. Hincque ratio nobis innoteſcit, cur ab his Cyclis Solis et Lunae Dionyſius Eram Incarnationis et Cyclum ſuum DXXXII. annorum inchoaverit: quae hactenus omnes fugit.

XV.
*Victorius non fuit Auctor Periodi DXXXII. annorum.*

Tradunt paſſim Chronologi *Dionyſium* Cyclum DXXXII. annorum a Victorio Aquitano confectum

recoxiſſe,

recoxiſſe, huncque primum magni huius Cycli Paſchalis inventorem extitiſſe. Verum *Victorius* primus quidem fuit apud Latinos, qui illum Cyclum adhibuit: ſed ejus inſtitutio Orientalibus debetur. *Syncellus* enim pag. 35. loquens de Aniano celebri Monacho Aegyptio, qui eodem quo *Panadorus* tempore claruit, ait: *Anianus Incarnationem anno 5500. completo, ac exoriente 5501. contigiſſe demonſtrat: ac Chriſtum reſurrexiſſe XXV. die Martii, quem et eundem Dominicum primo conditum in edita Paſchatis tabula DXXXII. annorum, mundi anno 5534 fuiſſe convincit. Panadorus in plerisque eadem quae Aniano dicta inculcat, licet ab arcana Nativitate ponenda anno 5500. ſeptem integris annis brevior definiat, ac ideo a Paſchali die aberret: haec enim 5526. mundi anno eam accidiſſe Martii XX. tradit.* Cyclus itaque Paſchalis DXXXII. annorum longe ante Victorium concinnatus. Sed ea Periodus Aniano antiquior. Photius enim in Bibliotheca ait, *Metrodorum* compoſuiſſe Periodum DXXXII. annorum, eamque a primo Diocletiani anno incepiſſe. Qui Metrodorus idem fuiſſe videtur cum illo, quem Hieronymus in Chronico prodit vixiſſe Conſtantini Magni temporibus, et de quo ſcribit: *Metrodorus Philoſopus agnoſcitur.* Sed quidquid ſit de primo huius Cycli inventore, certum eſt, eum non fuiſſe *Victorium*; valdeque veroſimile, Dionyſium aliam Periodum DXXXII. annorum quam Victorianam, quae ab anno Paſſionis Chriſti ducebat, exordium, a primo Diocletiani anno ad primum Chriſti retraxiſſe.

XVI. *Cyclus Luna cum terminis Paſchalibus et Solis cum litteris Dominicalibus exhibendi.*

Quia vero plurimum refert, ut quilibet proprio marte e Cyclis Dionyſianis Solis et Lunae *diem Paſchatis*, a quo cetera feſta mobilia pendent, eruere, & errores, ſi qui a Typographo commiſſi ſunt in noſtra Critica



tica vel aliis libris, emendare poſſit, Cyclum Solis cum ſuis litteris Dominicalibus cuilibet anno propriis, et Cyclum Lunae cum terminis ſuis Paſchalibus heic exhibendos duxi.

| | LATERCULUM terminorum Paſchalium in Cyclo Lunae Dionyſiano. | | LATERCULUM litterarum Dominicalium in Cyclo Solis Dionyſiano. |
|---|---|---|---|
| Linea annorum Cycli Lunaris Dionyſiani. | Termini Paſchales. | Anni. | Litterae. |
| | | 1 | GF. |
| | | 2 | E. |
| | | 3 | D. |
| 1 | V. Aprilis. | 4 | C. |
| 2 | XXV. Martii. | 5 | BA. |
| 3 | XXIII. Aprilis. | 6 | G. |
| 4 | II. Aprilis. | 7 | F. |
| 5 | XXII. Martii. | 8 | E. |
| 6 | X. Aprilis. | 9 | DC. |
| 7 | XXX. Martii. | 10 | B. |
| 8 | XVIII. Aprilis. | 11 | A. |
| 9 | VII. Aprilis. | 12 | G. |
| 10 | XXVII. Martii. | 13 | FE. |
| 11 | XV. Aprilis. | 14 | D. |
| 12 | IIII. Aprilis. | 15 | C. |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 13 | XXIIII. Martii. | 16 | B. |
| 14 | XII. Aprilis. | 17 | A G. |
| 15 | Kal. Aprilis. | 18 | F. |
| 16 | XXI. Martii. | 19 | E. |
| 17 | IX. Aprilis. | 20 | D. |
| 18 | XXIX. Martii. | 21 | CB. |
| 19 | XVII. Aprilis. | 22 | A. |
| | | 23 | G. |
| | | 24 | F. |
| | | 25 | ED. |
| | | 26 | C. |
| | | 27 | B. |
| | | 28 | A. |

*Cyclus Lunae* eſt reſolutio periodica novendecim annorum, quibus elapſis Novilunia et Plenilunia fere ad idem tempus redeunt. Dicitur alio nomine *Cyclus Decemnovalis*, item *Decaëteris* vel *numerus aureus*, propter inſignem eius uſum in feſtis mobilibus totius anni deſignandis. Is Cyclus terminum Paſchalem ante reformationem Kalendarii Gregorianam oſtendit, cuius beneficio, quo menſis die Paſchata celebrata fuerint, ſcire poſſumus. Cyclus vero *Solis* eſt revolutio viginti octo annorum ad reperiendam litteram Dominicalem cuiuscumque anni inſtitutus. Elapſis enim annis XXVIII. feriae in orbem redeunt; quod tamen de ſtatis feſtis non autem de mobilibus, ut de Paſchate aliisque, intelligendum. Inveniri poteſt Cyclus Lunae in quolibet anno Chriſti, ſi ei de quo agitur, *addatur unitas*



*nitas*, et omnes circuli XIX. annorum abiiciantur. Numerus enim qui remanſerit, erit Cyclus Lunae illius anni, cui a latere adſcriptus eſt terminus Paſchalis. Sic in iisdem Chriſti annis invenietur Cyclus Solis, ſi illi de quo quaeſtio eſt, *adiiciantur novem*, et tota ſumma dividatur per XXVIII. Qui enim reliquus erit numerus, Cyclum Solis illius anni offeret, cui a latere ſignata eſt littera Dominicalis. Dico, Cyclo *Lunae unitatem*, Cyclo vero *Solis novem unitates* addendas, quas ſcilicet in utroque Cyclo ante primum Chriſti annum fluxiſſe ſupponimus.

XVII. *Modus eruendi Paſcha e Cyclis Solis et Lunae.*

*Terminus Paſchalis* non eſt per ſe dies Paſchatis, ſed tantum indicat, Paſcha celebrari Dominica proxima, quae illum diem ſequitur. Quare Paſcha ex ſolo Lunae Cyclo educi non poteſt; ſed praeterea Cyclus Solis adhibendus, qui diem Dominicam proximam poſt terminum oſtendat. Cyclus itaque Lunae inventus una cum Cyclo Solis tempus Paſchatis certiſſime definiet. Anno Chriſti v. g. CCCLXXXI. Paſcha celebratum eſt die XXVIII. Martii, quia is annus notatur Cyclo Solis XXVI. Lunae II. Cyclus autem Solis XXVI. habet litteram Dominicalem C. et *terminus Paſchalis* Cycli Lunae II. dies eſt XXV. Martii, qui cum eo anno concurrerit cum die Iovis, Paſcha non potuit celebrari niſi die XXVIII. eiusdem menſis, qui primus Dominicalis eſt poſt terminum Paſchalem, diem nempe praefatum XXV. Martii, et ſic de aliis quibuscunque Chriſti annis. In annis ante Chriſtum Cycli Solis et Lunae, ut Characteres temporum, quibus ſinguli anni diſtingvuntur, tantum conſiderandi. Ut autem Lectorem cura inveſtigandorum Cyclorum et Paſchatum cuiuslibet poſt Chriſtum anni levarem,

 tam

tam Cyclos quam Paſchata cuilibet anno in meo Opere praefixi, quod et in quibuscunque Annalibus fieri debet. Et haec ſatis de Cyclis Dionyſianis Solis et Lunae ab Alexandrinis mutuatis.

XVIII. *Periodi mundanae Orientalium explicantur.*

Nunc, ut Dionyſii Exigui conſilium ſupplere, et magis promovere poſſim, tres Erae ſeu Periodi mundanae Chriſtianorum Orientalium accuratius, quam hactenus factum fuerit, exponendae. Ex tribus itaque Periodis illis altera Alexandrina vocatur, uti a Theophane, quando de Anaſtaſio Imperatore loquitur: altera dicitur Antiochena a quibusdam recentioribus, qui nulla quidem Veterum auctoritate innituntur, ſed a quibus, cum nihil melius afferre poſſim, in quaeſtione de nomine non diſcedam: tertia denique *Conſtantinopolitana*, ſeu etiam *Romana* a Theophane loco laudato, eo quod Conſtantinopolis eſſet *nova Roma* appellata. In priori Incarnatio conſignatur anno mundi 5501. in ſecunda anno mundi 5493. In tertia vero anno mundi 5509. et haec fere ſine controverſia, quae tota in eo ſita, cum quo ſcilicet anno Iuliano tres illi trium harum epocharum mundanarum anni, quibus Divina incarnatio affigitur, copulari debeant. Priorem enim annum, nempe mundi, ſecundum Alexandrinos 5501. Scaliger in libris de Emendat. Temp. cum anno Iuliano XLV. Petavius vero in libris de Doct. Temp. et Auctario ad eosdem libros, cum anno Iuliano LIV, Erae vero Dionyſianae IX. coniungendum contendit. In aliis duabus Eris mundanis Graeci cum Latinis conveniunt, et tam annum mundi 5493. quam 5509. in anno Iuliano XLV. auſpicantur. Verum, annum mundi Alexandrinum 5501. inchoari in anno Iuliano XLIII. vel die XXV. Martii, uti a Georgio Syncello,



vel menſe Aprili, uti a paucis quibusdam, vel communiter a Kalendis Septembris, ideoque Alexandrinos decem annos ante Antiochenos, et hos ſedecim ante Conſtantinopolitanos, mundi conditum incipere, certum eſſe debet. Quod ſi quis in praefatis annis cum Iulianis, in quibus incipiunt, connectendis erraverit, in iisdem cum annis Chriſti coniungendis non poterit non errare. Vides in hoc Laterculo quomodo trium harum Erarum anni tam inter ſe, quam cum annis Iulianis ac cum annis Chriſti conveniant; et quomodo Conſtantinopolitani annis ſedecim prius quam Antiocheni, ſex vero ante Alexandrinos mundum creatum ſupponant.

XIX. *Connexio annorum Chriſtianorum Orientalium cum annis Iulianis.*

# LATERCVLVM ANNORVM TRIVM ERARVM MVNDANARVM CHRISTIANORVM ORIENTALIVM CVM IVLIANIS ET INCARNATIONIS CONNEXORVM.

| Anni mundi Antiocheni a Septemb. | Incarnationis a Septemb. | Anni mundi Alexandrini a Septemb. | Incarnationis a Septemb. | Anni mundi Cpolitani a Sept. | Incarnationis a Septemb. | Anni Iulian. a Kal. Ianuariis. | Anni Dionyſiani a Kal. Ian. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | 1. | | | |
| | | | | 2. | | | |
| | | Initium mundi. | | 3. | | | |
| | | | | 4. | | | |
| | | | | 5. | | | |
| | | | | 6. | | | |
| | | 1 | | 7. | | | |
| | | 2. | | 8. | | | |
| | | 3. | | 9. | | | |
| | | 4. | | 10. | | | |
| | | 5. | | 11. | | | |
| | | 6. | | 12. | | | |
| | | 7. | | 13. | | | |
| | | 8. | | 14. | | | |
| | | 9. | | 15. | | | |
| Initium mundi. | | 10. | | 16. | | | |
| 1. | | 11. | | 17. | | | |
| 2. | | 12. | | 18. | | | |
| 3. | | 13. | | 19. | | | |
| 4. | | 14. | | 20. | | | |
| etc. | | etc. | | etc. | | | |
| 5449. | | 5459. | | 5465 | | 1. | |

5450.



| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5450. | | 5460. | | 5466. | | 2. | |
| 5491. | | 5501. | 1. | 5507. | | 43. | |
| 5492. | | 5502. | 2. | 5508. | | 44. | |
| 5493. | 1. | 5503. | 3. | 5509. | 1. | 45. | |
| 5494. | 2. | 5504. | 4. | 5510. | 2. | 46. | 1. |
| 5495. | 3. | 5505. | 5. | 5511. | 3. | 47. | 2. |
| 5496. | 4. | 5506. | 6. | 5512. | 4. | 48. | 3. |
| 5497 | 5. | 5507. | 7. | 5513. | 5. | 49. | 4. |
| 5498. | 6. | 5508. | 8. | 5514. | 6. | 50. | 5. |
| 5499. | 7. | 5509. | 9. | 5515. | 7. | 51. | 6. |
| 5500. | 8. | 5510. | 10. | 5516 | 8. | 52. | 7. |
| 5501. | 9. | 5511. | 11. | 5517. | 9. | 53. | 8. |
| 5502. | 10. | 5512. | 12. | 5518. | 10. | 54. | 9. |
| 5520. | 28. | 5530. | 30. | 5536. | 28. | 72. | 27. |
| 5521. | 29. | 5531. | 31. | 5537. | 29. | 73. | 28. |
| 5522. | 30. | 5532. | 32. | 5538. | 30. | 74. | 29. |
| 5523. | 31. | 5533. | 33. | 5539. | 31. | 75. | 30 |
| 5524. | 32. | 5534. | 34. | 5540. | 32. | 76. | 31. |
| 5525. | 33. | 5535. | 35. | 5541. | 33. | 77. | 32. |
| 5526. | 34. | 5536. | 36 | 5542. | 34. | 78. | 33. |
| 5527. | 35. | 5537. | 37. | 5543. | 35. | 79. | 34. |

In Era

XX. In Era mundana Alexandrina aliqui iungunt incarnationem cum anno 5500. aliqui cum anno 5501. De more tamen cum anno Iuliano XLIII. Imo Syncellus modo ſcribit, Chriſtum natum anno mundi 5500. modo anno 5501. Verum quando dicit, Chriſtum natum anno 5501. numerat annum illum inter annos Incarnationis. Contra vero quando dicit, natum eum anno 5500. eum annum in ſummam non confert, ſed incipit poſtea numerare primum annum Chriſti anno 5501. qui ſemper eſt ei primus annus Chriſti. Scribit etiam, Chriſtum natum anno CLXXXI. undecimae Periodi DXXXII. annorum, qui, ut mox videbitur, concurrit cum anno 5501. qui ideo apud Graecos paſſim pari paſſu procedit in minori numero cum annis Divinae Incarnationis. Praeterea annus ille mundi ſecundum Alexandrinos per XXVIII. XIX. et XV. partitus reddit Cyclum Solis XIII. Lunae X, Indictionis XI. Quare, cum annus Iulianus XLIII, cui illi mundi annus reſpondet, Indictione Romana proleptica I. notetur, ut videre eſt in noſtra Critica, Alexandrini decem ſemper Indictiones plus quam Latini numerant: ideoque ſi decem numeros ex illorum anno mundano reiicias, qui reſtabit, conveniet cum Indictione Romana; eaque methodo agnoſces quando annos illos mundi Alexandrinos recte cum annis Chriſti coniunxeris. Haec tamen decem Indictionum abdicatio fieri tantum debet in annis mundanis, qui ante primum Diocletiani Imperatoris fluxere. Nam ab eo tempore, poſt mutilatam nempe eram Alexandrinam, qua de re mox, anni mundi Alexandrinorum eandem Indictionem reddunt, ac anni Chriſti Dionyſiani: ſicque utrorumque copulatio minus errori obnoxia.

*Explicatur Periodus Alexandrina mundana.*





Era haec ceteris duabus longe antiquior. Ea enim XXI.
uſus eſt *Iulius Africanus*, qui anno Chriſti ducenteſimo viceſimo primo *Grati et Seleuci Conſulatu* notato Chronicon ſuum abſolvit, ut ipſemet teſtatur apud Photium. Uſurpata et ea a Sancto Hippolyto Iulio Africano coaevo, aliisque Antiquis, ut diſcimus ex Vita ſancti Euthymii Magni Abbatis, ſcripta a Cyrillo Monacho, et Graece Latineque recitata a Cotelerio tomo 2. Monumentorum Eccleſiae Graecae, in qua cap. 109. dicitur; *Sabbato dormit in pace, et ad eam quae illic eſt, tranſit beatitudinem; revera ſenex, et plenus dierum, viceſima die menſis Ianuarii in anno quidem mundi creationis ſecundum tempora ſcripta ab Hyppolito illo antiquo ipſisque Apoſtolis familiari, et ab Epiphanio Cyprio, et ab Herone Philoſopho, et confesſore, quinquies milleſimo nongenteſimo ſexageſimo quinto: a Domini autem noſtri Ieſu Chriſti in carne adventu quadringenteſimo et ſexageſimo quinto.* Eſt is annus Dionyſianus CDLXXIII. cuius menſe Ianuario Sanctus Euthymius obiit. Eundem Hyppolytum ea Era mundana uſum, docet etiam Syncellus, qui ait, eum tradidiſſe incarnationem factam fuiſſe anno mundi 5501. Illum Chronicon ſcripſiſſe, et uſque ad primum Alexandri Imperatoris annum perduxiſſe, nos docet Euſebius lib. 6. cap. 22. ubi loquens de iis, qui eo imperante floruerunt, ait: *Eodem tempore, et Hippolytus inter plurima alia ingenii ſui monumenta librum de Paſcha compoſuit: in quo temporum ſeriem deſcribens, et Canonem quendam Paſchalem per ſexdecim annorum circuitum exhibens, anno primo Imperatoris Alexandri, computationem Temporum circumſcribit.* Chronicon quidem illud periit: extat tamen Canon ille Paſchalis, qui ut obſervat Valeſius in Notis ad illum Euſebii locum, pars duntaxat eſt libri,

*Era Alexandrina a S. Hippolyto Martyre uſurpata.*

quem *Hippolytus* conſcripſerat *de Paſcha*: quod Euſebius laudatus aperte ſignificat. Quod cum Scaliger non animadvertiſſet, immerito reprehendit Euſebium, quod dixerit, Hippolytum in eo libro ad primum uſque Alexandri Imp. annum ſeriem temporum determinaſſe. *Imo vero*, inquit Scaliger, *Canon Hippolyti non in primum annum Imp. Alexandri deſinit, ſed ab eo incipit.* Verum id quidem eſt: ſed Euſebius non de Canone loquitur, quem Hippolytus Operi ſuo de Paſcha adiunxerat; verum de Opere ipſo, in quo Hippolytus ordinem temporum dinumerans, in primo Alexandri Imp. anno deſierat. Quam Valeſii interpretationem certam reddit locus ex Vita S. Euthymii excitatus.

XXII. *Uſurpata & a S. Epiphanio.*

Quo tempore *Heron* Philoſophus vixerit, non memini me legiſſe qui annotarit. Sed quoad *Epiphanium*, Panadoro, et Aniano aequalis fuit: quem Era mundana Alexandrina uſum fuiſſe, deprehendi ex loco eiusdem Doctoris corrupto, qui heic reſtituendus. Epiphanius haereſi 65. ait: ἡ δὲ τοῦ Χριστοῦ παρουσία ἐν τῷ πεντεκαιδεκάτῳ ἔτει Τιβερίου καίσαρος ἤρξατο τοῦ κηρύγματος, μετὰ τριακοστὸν ἔτος τῆς αὐτοῦ γεννήσεως, ὅπερ κατήντα εἰς πεντακισχιλιοστὸν πεντακοσιοστὸν ἔνατον ἔτος τῆς κοσμοποιΐας, καὶ τριακοστὸν τῆς αὐτοῦ ἡλικίας, τριακοστὸν δὲ τρίτον ἕως τοῦ σταυροῦ, id eſt: *At vero Chriſtus poſt ſuum in hunc mundum adventum anno decimo quinto Tiberii Caeſaris praedicationem exorſus eſt, poſt annum a Nativitate trigeſimum, qui in quinquies milleſimum ac quingenteſimum nonum annum conditi Orbis incurrit, eſt quae trigeſimus, uti dixi, aetatis illius annus. Nam trigeſimo tertio in crucem actus eſt.* Petavius in Notis Epiphanianis ex eo loco infert, Chriſtum ex Epiphanii ſententia natum anno mundi 5480. Additque, Graecos varias ex LXX. Interpre-





tum ratiociniis annorum ſummas ab Orbe condito collegiſſe. Quod quidem ultimum verum eſt: ſed primum ſuſtineri non poteſt; cum nullus ex Antiquis Chriſtum natum ſcripſerit eo mundi anno. Quare, cum iuxta Epiphanium Chriſti Incarnatio cadat in annum Iulianum XLIII. Iſque eram mundanam Alexandrinam, teſte Cyrillo Monacho laudato, ſecutus fuerit, liquet in numeros erorem irrepſiſſe, cum ex Epiphanii mente Chriſtus die Epiphaniae, anni ſcilicet Iuliani XLIV. in lucem prodierit, et *Silvano Nervaque Coſſ.* anno nempe Dionyſiano XXVIII. menſe Novembri, cum XXIX. annos et menſes X. impleſſet, baptizatus fuerit, currente ſcilicet anno XV. Imperii Tiberii Caeſaris. Quare erat is annus mundi quinquies milleſimus quingenteſimus triceſimus primus ab aliquot menſibus inchoatus, ideoque in Epiphanio, loco ἔνατον, id eſt, *nonum*, legendum, τριακοστὸν ἕνα, id eſt, *trigeſimum primum*, ut vel ipſa loci corruptio oſtendit: quod et ſuſpicatus fueram, antequam citatum Cyrilli Monachi locum vidiſſem.

XXIII. *Vulgaris error eſt, eſſe vel fuiſſe in Oriente, qui Era Dionyſiana octennio breviori utantur.*

Petavius in lib. 9. de Doct. Temp. et in Auctario ad eosdem libros lib. 8. exiſtimat, tam Sanctum Maximum in Computo Eccleſiaſtico, quam Georgium Syncellum in ſua Chronographia, alioſque Graecos, qui ſcribunt Chriſtum incarnatum anno mundi 5501. eius incarnationem anno Chriſti Dionyſiano nono, qui cum Iuliano LIV. concurrit, affinxiſſe. Quae et opinio fuit *Heruarti* in ſua Chronologia, *Bollandi* in explicatione Actorum Sancti Clementis Ancyrae in Galatia Epiſcopi paragrapho I. num. 2. aliorumque paſſim, qui tanquam certum ponunt, vel eſſe, vel fuiſſe alias populos quoſdam in Oriente, qui Chriſtianam Epocham

octo annis ſerius atque Latini ordiantur. Verum vulgaris error non propagandus erat, ſed evertendus. In eum alii ducti, quod Syncellus, qui Incarnationem cum anno mundi 5501. illigat, ſubdat, eam contigiſſe *Sulpicio Camerino et C. Poppaeo Sabino Coſs.* quem Conſulatum in annum Erae Dionyſianae IX. convenire certum. Alii quosdam populos ſerius Latinis Eram Incarnationis inchoaſſe, ſibi in animum induxere, quod Era Incarnationis Alexandrina octennio Era Dionyſiana brevior ſit, ita ut quem annum Incarnationis Alexandrini putant CCCXVI. Dionyſiani CCCXXIV. vocent. Alii denique in eam ſententiam abrepti, quod annus Iulianus LIV. qui eſt Erae Dionyſianae *IX.* eadem littera Dominicali ac annus Iulianus XLIII. littera nempe F. notetur. Priorum fundamentum ruinoſum. Syncellus enim qui Incarnationem Chriſti cum illo Conſulatu coniungit, dicit poſtea, Chriſtum paſſum *Nerone* III. et *Valerio Meſſala Coſſ.* qui Conſulatus in annum Chriſti LVIII. comperit. Quare uterque Conſulatus, vel in illud Chronicon infartus, vel Auctor priorem cum anno Iuliano XLIII. poſteriorem cum anno Dionyſiano XXXI. quo Chriſtum paſſum exiſtimavit, per errorem connexuit. Sic Alcuinus lib. I. de Divinis Officiis cap. 6. dicit, Chriſtum *expletis quaſi triginta annorum curriculis*, anno *decimo quinto Tiberii Caeſaris ſub Valeriano et Aſiatico Coſſ.* baptizatum fuiſſe; cum tamen Conſulatus ille Valeriani et Aſiatici, vel fictitius ſit, vel pars tantum Conſulatus, quo annus Chriſti XLVI. notatur; eo enim anno Conſules fuerunt, C. *Valerius Aſiaticus* II. *et* M. *Iunius Silanus.*

XXIV.
*Primum hu-*

Alios, uti Petavium, identitas litterae Dominicalis



lis in annis Iulianis XLIII. et LIV. in errorem impulit. Ait enim Petavius cap. I. citati lib. 8. Maximus in prima parte Computi cap. 32. Evangeliſmum Beatae Virginis ſive Incarnationem incidiſſe vult anno mundi 5501. Cyclo Solis XIII. Lunae X, feria II. Natalem autem Chriſti eodem anno feria quarta. Quoniam igitur Evangeliſmus, quem *Annuntiationem* Latina vocat Eccleſia, tam a Graecis quam a noſtris, Martii XXV. ponitur, neceſſe eſt Dominicalem fuiſſe litteram F. Addit cap. 33. Indictionem fuiſſe tunc XII. Cap. porro 34. Oraculum Zachariae Septemb. XXVII. die contigiſſe narrat, feria V. Cyclo Solis XII. Lunae IX. Proinde littera Dominicalis erat G. Item natum eſſe Ioannem Iunii XXIV. feria II. nempe littera Dominicali F. Ex tot annorum characteriſmis efficitur Zachariae oraculum, et conceptum Ioannis cadere in annum VIII. Erae communis, quo littera fuit G. poſt Martium: Incarnationem autem Natalemque Chriſti, et ante hunc Ioannis, in annum Erae Chriſtianae nonum, qui litteram habuit F. Sic annis octo tardior eſt Natalis Dominicus in hac Era, quam in communi. Ita Petavius. Verum, ſi Vir doctiſſimus animadvertiſſet annum Iulianum XLII. littera Dominicali G. annum vero Iulianum XLIII. littera Dominicali F. inſignitos eſſe, ita, opinor ratiocinatus non fuiſſet.

*ius opinionis fundamentū ex littera Dominicali perperam deſumtum.*

XXV.
*Indictio quae dicitur ab Auguſto inſtituta fictitia eſt.*

Quoad indictionem quae Petavium irretitum tenuit, explicanda erat eo modo, quo Maximus intellexit. *Orta eſt*, inquit, *ut Hiſtorici prodiderunt, anno primo Auguſti Caeſaris, eius Imperii ſecundo, qui fuit annus mundi* 5460. *Hi per XV. diviſi ultimum Indictionis annum id eſt, annum quintum decimum exhibent: in quo huius initium ille ſtatuens, ultimum eſſe primum voluit. Ita fit ut uno*

*no anno praecurrat Indictio, quae ab anno Auguſti ſecundo numeratur, eam quae ab Orbis exordio ducitur, quando anni Adami per XV dividuntur. Proinde fuit Indictio XI. ſecundum calculum iſtum, anno quo ſecundum carnem Salvator eſt ortus. At ex illo calculo fuit XII. quoniam uno antevertit anno. Sic ſacratiſſimus Baptiſmus Indictionē habet X et XI et ſalutaris Paſſio XIV. et XV. Quippe anno Auguſti XLIII noſtri inſtar, ut homo natus is eſt, qui ante ſecula tanquam Deus ex Patre natus fuerat. Proinde ſi XLII. per XV. dividis, annus prodibit Indictionis XII. quo, ut diximus, Chriſti Natalis incidit.* Maximus itaque duo genera Indictionum diſtinguit: alterum, quod ab Orbis exordio ducitur; alterum, quod Auguſtus, ut ipſe et paſſim Graeci ſomniant, anno ſecundo Imperii ſui inſtituit, additque, annos mundi per XV. diviſos reddere Indictionem mundanam; annos vero Auguſti, ſi unitatem demas, reſpondentem ſcilicet primo Imperii eius anno, offerre Indictionem Auguſteam, quae mundanam unitate ſuperat. Quare Indictio XII, de qua ibi loquitur Maximus, non eſt Indictio mundana, de qua quaeſtio eſt: annus enim mundi 5501. nonniſi Indictionem XI. reddit, nec eſt etiam Indictio XII. Romana, qua annus Dionyſianus IX. afficitur, ut credidiſſe videtur Petavius; ſed eſt Indictio XII. Auguſtea, aut, ut verius loquar, fictitia et commentitia, quemadmodum fictitium eſt, quod Auguſtus Caeſar alicuius Indictionis auctor fuerit. Errat etiam Maximus, quando copulat ſecundum annum Imperii Auguſti cum anno mundi Alexandrino 5460. Annus enim ille cum anno Juliano ſecundo, quo Caius Julius Caeſar occiſus, concurrit, ideoque ſecundus Caeſaris Auguſti eſſe non potuit; cum nonniſi post Julii



lii Caeſaris avunculi necem Imperium ſuſceperit.

XXVI. *Error Syncelli et Maximi corrigitur.*

In eodem errore Syncellus verſatur: eum enim annum mundi 5460. vocat etiam Auguſti Caeſaris *ſecundum.* Quo ex errore in alium uterque prolapſus eſt. Autumarunt enim, Chriſtum anno XLIII. Auguſti natum; quaſi fieri poſſet, ut annus XLIII. Auguſti cum Iuliano anno XLIII. quo annus mundi 5501. incipit, componi poſſit. Jacobus Goar in Notis ad Syncellum ait, locum, ubi is ſcribit, Chriſtum incarnatum anno XLIII. Caeſaris Auguſti, corruptum eſſe, legendumque, XLII. Sed praeterquam quod Sanctus Maximus eundem numerum retinet, is in ipſo fine ſui Computi pag. 356. rurſus haec habet: *Anno ſecundo Imperii Auguſti Caeſaris numerari coeperunt Indictiones, Romanique menſes tum primum ab illis excogitati, anno Adami 5460. Anno Auguſti XLIII. naſcitur Chriſtus, anno Adami 5501. Anno XV. Tiberii in Iordane baptizatur anno Adami 5530.* Quare error tam Maximi quam Syncelli incarnationem anno XLIII. Auguſti illigantium, ex eo procedit, quod arbitrati fuerint, eum Iulio Caeſari ſucceſſiſſe anno primo Iuliano, annoque mundi ſecundum Alexandrinos 5459. quo pacto verum eſſet, annum mundi 5501. die XXV. Martii, quo Syncellus annos tam mundi quam Incarnationis inchoat, quadrageſimum tertium Auguſti fuiſſe. At Caeſarem Auguſtum anno Juliano ſecundo, mundique ſecundum Alexandrinos 5460. poſt Julii necem regnare coepiſſe, et non antea, certum indubitatumque. Interim ex laudato Maximi loco, quo annum XV. Tiberii cum anno mundi 5530. coniungit, manifeſte apparet, opinionem, quam Petavius Sancto Maximo attribuit, quod nempe docuerit, Chriſtum incarnatum eſſe anno

nono

nono Erae Dionyſianae, a mente Sancti huius Marty-
ris valde alienam eſſe: cum ſi Chriſtus baptizatus ſit
anno Tiberii XV, Dionyſiano ſcilicet XXIX, annoque
mundi Alexandrino 5530. natus profecto erat longe
ante annum Dionyſianum IX, alioquin anno aetatis
viceſimo Chriſtum baptizatum Maximus crediſſet.
Quod eum exiſtimaſſe nullus ſibi perſuaſerit.

*XXVII. Secundum huius opinionis fundamentum ex anno ſecundo Imperii Auguſti male deductum.*

„Secundum argumentum Petavii iſtud eſt: Maxi-
„mus Auguſti Imperii ſecundum annum ait eſſe
„mundi 5460. quo fuit Indict. I, incarnatum verò eſſe
„Chriſtum anno Auguſti XLIII. Indictione XII. Ex quo
„conſequens eſt; anno Iuliano XII Periodi Julianae 4680.
„Auguſti Imperium iniiſſe, et annum Julianum XIII. Pe-
„riodi Julianae 4681. ſecundum eſſe Monarchiae: intel-
„lige labentem utrobique. Etenim Auguſti annos a
„Thoth incipit. Proinde primus Thoth revera incidit in
„annum Julianum III. Periodi Iulianae 4671. At ex Maxi-
„mi Calculo contigit anno Iuliano XI. Periodi Iulianae
„4679. Unde anno 4681. in curſu erat adhuc ſecun-
„dus Auguſti cum Indictione I. Adde annos XLI. reliquos;
„incurret annus Auguſti XLIII. quo incarnatus eſt Chri-
„ſtus, in annum Iulianum LIV. Periodi Julianae 4722.
„Ita ut anno Iuliano LIII. a Thoth inierit, et Menſe
„Martio inſequentis anni tenuerit. Vides, ut annis o-
„cto tardiores ſint epochae omnes in iſto computo.
„Nam Thoth Auguſtei Imperii eſt annus Iulianus III.
„a Maximo vero fit. XI. Haec Petavius. Sed iam re-
ſpondimus, Maximum et Syncellum hallucinatos,
quando Iulium Caeſarem anno mundi ſecundum Alex-
andrinos 5458. occiſum putarunt. Ea enim mors pa-
trata anno ſecundo Iuliano, qui cum anno mundi A-
lexandrino 5460. concurrit, quo ſecundum Alexandri-
nos,



nos, currebat Indictio XV. proleptica, ſecundum Ro-
manos Indictio V. proleptica: et, ut ſupponit Maxi-
mus, Auguſtus inſtituit Indictionem primam Auguſte-
am, quae a mundana valde diverſa eſt, ut numero
XXV. diximus. Secundus itaque annus Monarchiae
Auguſti in Computo Maximi non poteſt alius eſſe quam
mundanus 5461. ac Julianus III, nec Chriſtus in Sancti
Maximi opinione XLIII. anno Auguſti naſci potuit, ſi pri-
mus annus Auguſti incidit in annum mundi ſecundum
Alexandrinos 5460, quadrageſimus vero tertius in an-
num mundi ſecundum eosdem 5503. quod in dubium
revocari non poteſt. Nam tam Maximus, quam Syn-
cellus exerte docent, Chriſtum natum anno mundi 5501.

*XXVIII. Tertium fundamentum ex Chriſti Baptiſmo et Paſſione deſumtum evertitur.*

Tertium Petavii argumentum: Maximus cap.„
32. ſui computi baptizatum a Ioanne Chriſtum me-„
morat anno 5530. feria III. Ergo littera Dominicalis„
D. adjectis XXIX. ad eum annum, quo incarnatus eſt„
Unde eſt hic annus Periodi Iulianae 4752. quo ad ver„
num uſque menſem labebatur annus Maximi 5530. et„
5531. inde ſucceſſit. Item Paſſionem Chriſti con„
iicit in annum 5534. ac diem Paraſceves, quae„
quidem Martii XXIII. contigit ut Georgius do„
cet. Erat littera Dominicalis G. Itaque annus„
fuit Periodi Iulianae 4755. Quae Graecorum„
ſententia non magis reliqua ab Hiſtoria, quam ab„
Evangelica narratione diſcrepat. Nam Tiberii XV.„
fere baptizatus eſt Chriſtus; et eodem imperante„
tertio, quartove anno poſtea paſſus. At ex Maximi„
computo ſequitur, Caio imperante, et eius anno ſe-„
cundo, ad Baptiſmum Ioannis acceſſiſſe Dominum;„
et paſſum eſſe Claudii ſecundo: quae ſunt abſurdiſſi-„
ma, inquit Petavius. Sunt certe abſurdiſſima, et„


Maxi-

Maximo, Syncello, aliisque Antiquis, qui eandem opinionem propugnarunt, indigna. Unde et intelligere poterat Vir eruditiſſimus, eam explicationem in illorum mentem vix cadere potuiſſe. Baptizatus itaque Chriſtus anno Dionyſiano XXVIII. littera Dominicali D. inſignito, quo ideo dies Epiphaniae, qui Januarii ſextus eſt, in feriam tertiam incidebat, quove die XXV. Martii aut alio dies annus mundi 5531. inchoandus erat. Indeque liquet, ex Maximi ſententia annum mundi 5501. in anno Iuliano XLII., incipere; alioquin annis XXIX. aut XXX. natus ad Baptiſmum non acceſſiſſet; quod nullus ex antiquis Patribus in dubium revocavit. Paſſus vero Chriſtus, iuxta Sanctum Maximum, et Georgium Syncellum, anno Dionyſiano XXXI. littera Dominicali G. inſignito, quo ideo dies XXIII. dies Martii cum feria ſexta concurrebat, anno nempe XIX. Tiberii, ut Maximus pag. 356. et Syncellus pag. 319. ſcribunt. Ubi annos Tiberii ab eius Imperio proconſulari, ut communiter Antiqui, quando de Baptiſmo aut morte Chriſti loquuntur, uterque deducit, ab anno nempe Dionyſiano XIII; cum tamen anno XI. aut XII. Tiberius Imperii Collega factus fuerit. Verum hic error excuſatione dignus; cum prior epocha Tiberiani Imperii valde ſit obſcura; ſed uterque inexcuſabilis eſſet, ſi, ut vult Petavius, Baptiſmum Chriſti in annum Erae Dionyſianae XXXIX. eius vero paſſionem in annum eiusdem Erae XLII. contuliſſet; cum Tiberius iam ab anno XXXVII. fato functus eſſet.

XXIX. *Maximus et Syncellus vulgari illi errori non ſuffragantur.*

Verum Georgium Syncellum, ideoque et Maximum, cuius ille ſententiae adhaeſit, annum primum Incarnationis, mundique 5501. cum anno Iuliano XLIII. copulaſſe, ideoque et annum mundi 5534. cum anno Dionyſiano XXXI. ex Chronographia Georgii certe deducitur. Pag. 327. refutando Panadorum dicit, liquere ex ſacris Scripturis, Chriſtum circa Caeſaris Auguſti mortem annum circiter XV. iam attigiſſe, et circa annum Tiberii XV. trigeſimum aetatis numeraſſe. Quare ſecundum Syncellum Chriſtus incarnatus eſt anno Iuliano XLIII. poſt quem Auguſtus adhuc annos circiter XV. regnavit. Ad haec Syncellus paulo antea dixerat, Chriſtum conceptum eſſe anno centeſimo octogeſimo primo undecimae Periodi DXXXII. annorum, paſſum vero anno eiusdem Periodi CCXIII. Incipit Syncellus undecimam illam Periodum DXXXII. annorum anno mundi, ſecundum ſcilicet Alexandrinos 5321. ut ipſemet aſſerit, ab anno ſcilicet Periodi Julianae 4531. Quare is annus CLXXXI. reſpondet anno mundi 5501. annoque Periodi Julianae 4711. Notat etiam Syncellus, annum mundi 5321. Olympiadis CXLIX. anno quarto, qui eſt annus Olympiadicus DXCVI. Et ratio eſt, quia Syncellus incipit primam Olympiadem annis duobus ante communes Olympiades, anno nempe mundi ſecundum Alexandrinos 4726. cui ſi addas annos DXCVI. Olympiadicos, peruenies ad annum mundi 5321. Ex quibus certo infertur, Syncellum iunxiſſe Incarnationem cum anno Iuliano XLIII. Denique pag. 325. et ſeq. reprehendit Iulium Africanum, quod in Paſſione Chriſti anno aetatis eius XXXI. collocanda, duobus annis a vero aberret. Ipſe enim tuetur tempus omne quod ab eius conceptu annoque mundi 5501. et Martii XXV. ad eius Reſurrectionem extenditur, *quae in eandem XXV. Martii diem incidit*, annorum fuiſſe XXXIII. et unius diei, *quae annum* 5534. *incepit*; cum tamen Africanus Incarnationem in annum 5501. conſentanee traditioni Apoſtolicae, inquit Syncellus, coniecerit, et Paſſionem ac

ac Reſurectionem male in annum mundi 553. contu-
lerit. Africanum autem Chriſtum anno xv. Tiberii
duorum Geminorum Conſulatu notato, annoque Dio-
nyſiano XXIX. crucifixum fuiſſe autumavit; ideoque
Syncellus Paſſionem Chriſti non cum anno Dionyſia-
no XLII, ut Petavius ſomniabat, ſed cum anno eiusdem
Erae XXXI. illigavit; cum Africano errorem duorum
annorum, non vero annorum tredecim attribuat.

XXX.

*Opinio Africani de anno Incarnationis et mortis Chriſti e tenebris eruta.*

Petavius in lib. 8. Auctarii cap. 2. fatetur quidem ad
Graecanicas Eras intelligendas, opinionis Africani in-
quiſitionem plurimum utilitatis afferre; ſed quid hac in
re Africanus ſenſerit, obſcurum eſſe; tandemque con-
cludit: *Mea, ut in ancipiti ac perplexa quaeſtione, coniectu-
ra eſt, Chriſtum ex Africani opinione, incarnatum eſſe anno
Periodi Iulianae 4712. biennio ante communem Eram; mundi
5501. baptizatum porro duobus Geminis Coſſ. anno Tiberii XV.
mundi 5530. exeunte, quem 5531. Aprili circiter excepit: paſ-
ſum denique anno mundi deſinente 5531 ſequente 5532. a Pa-
ſchate, vel Aprili anni Chriſti communis XXX. Tiberii XVI.
et Olympiadis CCII. anno ſecundo nondum ab aeſtivis menſi-
bus incboato; ſed κατὰ πρόληψιν a Januario, aut alio quopi-
am initio popularis anni, quo uſus eſt Africanus. Quocirca
qui Africanum referunt, Paſſionem Domini anno Adami 5531.
Incarnationis XXXI. attribuiſſe, de annis deſinentibus intel-
ligere debuerunt. Nam Baptiſmum ab eo collatum eſſe in
Conſulatum Geminorum, veriſimile eſt: cum ex Luca conſtet, an-
no XV. Tiberii iſtud eveniſſe: aut ſi, ut Epiphanius, et alii
quidam, Novembri menſe, non ſexto Januarii ad Baptiſmum
veniſſe credidit, anno communis Erae XXVIII. Certe hinc
ad Paſſionem ſolidus annus interpoſitus eſt; cum annum ſal-
tem unum τῇ κηρύξει Africanus imputaverit. Atqui ſi Conſu-
libus ipſis Geminis, Martio menſe, paſſus foret, tres ab Ianua-
rio*



*rio vel a Novembri, quinque duntaxat menſes, Chriſti prae-
dicatio teneret: quod Africanum ſenſiſſe non arbitror.* At
haec quaeſtio neque anceps, neque perplexa; et ſi in
aliorum Graecorum ac in Africani ſenſum tam facile
penetrare poſſemus, in iis legendis non ita ſaepe cae-
cutiremus. Duo itaque, quae Petavium fugere, pro
certis ponenda: primum Africanum, uti et alios ple-
roſque Antiquos, qui primis quatuor Eccleſiae ſeculis
floruere, decimum quintum Imperii Tiberii annum
non a morte Auguſti Caeſaris, ſed ab Imperio Procon-
ſulari Tiberio anno Erae Dionyſianae XI. aut XII. col-
lato, deducere, quod in mea Critica demonſtravi. Al-
terum Africanum *primam Olympiadem* ceteraſque dein-
ceps, modo ſibi proprio computare, biennio ſcilicet
ante communem opinionem; licet ad maiorem expreſ-
ſionem communi ſupputandi modo aliquando utatur;
imo et aliquando in eadem re conſignanda utrumq; ad-
hibeat, ut infra videbimus. Quare Africanus annum
mundi 5501. et Incarnationis I. anno Juliano XLIII. ince-
pit; quod teſtatur Syncellus laudatus, quando ait, con-
ſentanee traditioni Apoſtolicae eum Incarnationem in
annum Mundi 5501. conieciſſe. Si enim eum mundi
annum cum anno Juliano XLIII. Africanus non con-
nexuiſſet, a Syncello non laudaretur, ſed reprehende-
retur. Baptizatus itaque Chriſtus in opinione Africa-
ni, anno mundi 5529. Incarnationis XXIX, Erae
Dionyſianae XXVI. quo annus decimus quintus Impe-
rii Proconſularis Tiberii uſque ad XXVIII. menſis Sep-
tembris adhuc in curſu erat. Cumque Antiqui duo
tantum Paſchata Chriſto attribuerint, Ioannis miniſte-
rium a Baptiſmo Chriſti uſque ad primum Paſcha a
Chriſto anno Erae Dionyſianae XXVIII. celebrato, vel

 circi-

circiter duravit. Sicq; ſecundum Africanum Chriſtus natus erat, quando Baptiſmum ſuſcepit paulo minus quam triginta annis, eo nempe in ſummam collato, quo in utero Beatiſſimae Virginis fuit: qui modus numerandi annos Chriſti ab Antiquis paſſim uſurpatus. Paſſus autem Chriſtus ſecundum eundem, anno Erae vulgaris XXIX. anno ſecundo Olympiadis CCII. exeunte, qui ſecundum communem Olympiadas numerandi rationem erat annus quartus finiens Olympiadis CCI, annoque Imperii Auguſtei Tiberii XV. ſecundum communem ſupputationem, vel XVI. iuxta ſupputationem quorundam Orientalium, qui annos Imperatorum cum anno populari incipiunt.

XXXI. *Africani mens magis explicatur.* Syncellus pag. 324. refert haec verba ex Africani Chronico deſumta: *Anni ab Adam condito ad Chriſti adventum, et eius reſurrectionem 5531. colliguntur: a qua temporis epocha ad Olympiadem CCL. anni CXII. intercurrunt.* Abſolvit Chronicon ſuum Africanus *Grato* et *Seleuco Coſſ.* ut ipſemet docet, anno nempe Erae Dionyſianae CCXXI. antequam Olympias CCL. , qui eſt annus Olympiadicus DCCCCXCVII. celebraretur. Quare utitur hoc in loco Africanus communi ſupputatione Olympiadum, ſupponitque, Chriſtum paſſum anno quarto Olympiadis CCI. qui erat annus Olympidiacus DCCCIV. finiens in anno Erae vulgaris XXIX. a quo anno Olympiadico ad finem anni Olympiadici DCCCCXCVI. et Conſulatum Grati et Seleuci, annumq; Dionyſianum CCXXI anni, fluxerunt CXCII. Si enim non computes totam Olympiadem CCI. ſummam praedictam non reperies. Certũ itaque, Africanum conſignaſſe Paſſionem Chriſti anno Dionyſiano XXIX, mundi vero ſecundum Alexandrinos 5531. in finem tendente, Deniq; Africanus teſte Photio in Bibliothe-

ca



ca codice 34. abſolvit Chronicon ſuum anno mundi 5723. Incarnationis CCXXIII. Grato et Seleuco Coſſ. ideoque anno Dionyſiano CCXXI, antequam menſe Martio vel Aprili annus mundi 5724. Incarnationis CCXXIV. inchoarentur. Ex quo conſequens eſt, Africanũ annum mundi 5501. et Incarnationis I. cum anno Iuliano XLIII. connexuiſſe; quod Africani imitatione reliqui poſtea Orientales, qui ea Era mundana uſi ſunt, praeſtitere. Neque alia inter eos erat differentia; niſi quod quidam ex illis Natale Chriſti in diem ſextum Ianuarii Epiphaniae ſacrum, quidam in diem XXV. Decembris conferebant; quamquam et fuerint aliqui, qui aliis diebus Natale Chriſti affigerent. Fatetur autem Petavius. lib. 8. Auctarii cap. 4. Georgium ceteroſque, *qui Alexandrinam Eram tenuerunt*, ſecutos eſſe Sanctum Maximum; quod quidem negari non poteſt: Sed inde vulgaris opinio, quae credit, utrumque annis octo veram Incarnationis Eram morari, plane falſa convincitur; Cum Georgius primum Incarnationis annum cum anno Iuliano XLIII. certo certius comparet. Hinc mortem Tiberii cum anno mundi 5537. Caii autem Caligulae cum anno 5541. iungit: ubi licet in utroque minus dicat, oſtendit tamen ſe exiſtimare, utrumque Imperatorem ante annum Erae Dionyſianae XL. fato functum eſſe: tantum abeſt, ut anno eiusdem Erae XLII. Tiberium adhuc in vivis fuiſſe, et eo anno, dum is imperaret, Chriſtum Crucifixum arbitratus fuerit.

Quartum Petavii fundamentum ex eo deſumitur, quod Scriptores, qui Eram mundanam et incarnationem ſecundum Alexandrinos amplexantur, in utraque annos octo minus quam par ſit colligant: *Sic Nice-* XXXII. *Quartum vulgaris erroris fundamentum.*

*phorus*

*phorus in Chronico, cum anno Adami 5501. Imperii Auguſti XLII. ponat Incarnationem Domini; nihilominus annum Nicaenae Synodi numerat ab Incarnatione CCCXVIII. et octo annis minus dicit. Hinc illud accidit, ut in Annalibus Georgii Syncelli, et qui eius continuavit opus Theophanis, nec non huius Interpretis Miſcellae, anni Chriſti octo minus colligant, quam Era communis. Nec aliter Maximus inſtituit. Hic enim Heraclii annum XXXI. cum anno Chriſti DCXXXIII. componit in anno communis Erae DCXLI. Georgius et Theophanes annum primum Diocletiani, mundi eſſe volunt 5777. Incarnationis CCLXXVII: atqui ex illorum mente is eſſe debet Erae noſtrae CCLXXXV. Sic Theophanes Conſtantini obitum refert in annum mundi 5829. Incarnationis CCCXXIX, quem certum eſt Erae communis anno CCCXXXVII. incidiſſe. Rurſus Valentiniani exordium confert in annum mundi 5857. exeuntem; ſequente mox 5858. quoniam Februario creatus eſt Imperator: Chriſti autem computat CCCLVII. itidem exeuntem. Diſcrimen annorum VII., quemadmodum et in annis Concilii Chalcedonenſis; quod anno mundi 5944. Indict. V. celebratum docet anno Chriſti CCCCXLIV. Atqui anno CCCCLI. Erae noſtrae eſt habitum. Sic uno interdum anno ab inſtituta Chronologia Theophanes aberrat: ac ſeptem annorum tantummodo diſcrimen facit; cum octo eſſe annorum oporteat ex illius ratiociniis.* Haec Petavius.

XXXIII. *Huius fundamenti vanitas.* Ad hoc argumentum, ut reſpondeam, ſuppono (quod mox certis argumentis demonſtrabo) Alexandrinos ad annum primũ Imperatoris Diocletiani, tam Eram ſuam mundanam, quam Eram Incarnationis mutilaſſe, e priori decem numeris, e poſteriori vero ſeptem ablatis. Regnare coepit Diocletianus die decima ſeptima menſis Septembris anni Dionyſiani CCLXXXIV. quo inchoari debebant annus mundi 5787. annuſque Incarnationis CCLXXXVII. Nihilominus, ut annus mundanus Cyclum Lunae I. reddere poſſet, et annus Incarnationis iisdem numeris, ut antea defineret, numerarunt tantum annum mundi 5777. et Incarnationis CCLXXVII. Quo pacto annos duntaxat ſeptem Incarnationis abiecere. Si annos mundi tres ſolum reſecaſſent, poſt illam reformationem cum Latinis, quoad Incarnationis annos, conveniſſent, annuſque primus Diocletiani fuiſſet Alexandrinis mundi 5784. Incarnationis CCLXXXIV. Sed quia annos decem mundanos abdicarunt, annos tantum ſeptem Incarnationis minus Latinis hodiernis computarunt; neque eos in Incarnationis annis triennio, ut antea, praeceſſere; ſed contra annos ſeptem Incarnationis minus illis ſuputarunt; ut liquet in praefato exemplo: quem enim annum Latini vocant CCLXXXIV. Alexandrini CCLXXVII. appellarunt: adeo ut annis Incarnationis ſecundum Alexandrinos, ſemper addendi ſint ſeptem numeri, ut annum Erae Dionyſianae, in quo Menſe Martio vel Septembri, ſecundum diverſas Auctorum ſententias inchoatur, aſſequamur; quod in exemplis ex Petavio numero praecedenti relatis luce meridiana clarius apparet. Dicit Petavius *Nicephorum* in Chronico perperam numerare annum Nicenae Synodi ab Incarnatione CCCXVIII. et octo annis minus dicere. Verum non annos octo, ſed ſeptem duntaxat, minus dicit, et quidem appoſite, poſtquam decennalis illa mutilatio peracta fuit. Si enim anno Incarnationis CCCXVIII. ſeptem numeros adiicias, pervenies ad annum Dionyſianum CCCXXV. quo revera Nicaena Synodus habita. Ex quo et liquet; Nicephorum annum illum Incarnationis ab autumno anni Dionyſiani CCCXXV. incipere; cum Concilium Nicaenum menſe

ſe Junio coactum fuerit. Sic *Maximus* in prima ſui
Computi parte cap. 21. ſcribit, Dominicam incidiſſe in
diem quartam menſis Februarii, eo anno quo Opus ſu-
um exaravit: iamque cap. 17. dixerat, fuiſſe tunc in-
curſu Indictionem XIV. annum Heraclii Imperatoris
XXXI. annum autem mundi 6133. Alium in eodem O-
puſculo characterem addit Maximus, annum nempe
Incarnationis DCXXXIII. Quare illis omnibus tempo-
rariis notis manifeſte deſignat annum Dionyſianum
DCXLI. Indictione XIV. inſignitum, et in quo Domi-
nica cum die quarta Februarii concurrit. Adde annis
Incarnationis ſecundum Alexandrinos ſeptem, certo-
que tibi conſtabit, annum Incarnationis DCXXXIII. ini-
tium ſumere anno Dionyſiano DCXL. et adhuc in-
curſu fuiſſe prioribus inſequentis anni Dionyſiani men-
ſibus. Sic recte Theophanes poſt eandem mutilatio-
nem refert Conſtantini Magni obitum in annum Mun-
di 5829. Incarnationis CCCXXIX. Si enim huic ulti-
mo anno numeros ſeptem addas, habes annum
Dionyſianum CCCXXXVI. cuius menſe Septembri
annus ille Incarnationis ac mundi inchoatus eſt. Cum
autem Conſtantinus die XXII. menſis Maii mortalita-
tem expleverit, oſtendit Theophanes, mortem eam
contigiſſe anno Dionyſiano CCCXXXVII. in poſteriori
nempe parte anni Incarnationis ſecundum Alexandri-
nos. CCCXXIX. Uno tamen anno deficit Theopha-
nes, quando in exemplo a Petavio allato inaugu-
rationem Valentiani ſenioris confert in annum Incar-
nationis CCCLVII. mundi vero 5857. Si enim ſeptem
addideris huic Incarnationis anno, numerabis CCCLXIV.
in quo Dionyſiano anno uterque ille annus Alexandri-
nus Kalendis Septembris auſpicatur; cum tamen Va-
lenti-



lentinianus menſe Februario Imperium ſuſceperit, id-
eoque anno mundi 5856. Incarnationis CCCLVI. De-
nique Theophanes *Concilium Chalcedonenſe* anno Diony-
ſiano CCCCLI. menſe Octobri celebratum cum anno
5944. mundi; Indictione V. (a Septembri ſcilicet in-
choata.) annoque Incarnationis CCCCXLIV. accurate
illigat, ex praefata methodo. Verum autem non
eſt, quod ſupponit Petavius, inter annum Dionyſia-
num, et annum Incarnationis Alexandrinum octo an-
norum diſcrimen eſſe debere; ut allata exempla mille-
que ſimilia extra omnem controverſiam ponunt, ideo-
que quando annus Incarnationis Alexandrinus annis
octo a Dionyſiano differt, Theophanem, aliosque
Scriptores Byzantinos anno uno a recta Chronologia
aberrare certiſſimum.

XXXIV.
*Decennalis mutilatio Erae mundanae Alexandrinae ex Cyclo DXXXII. annorum demonſtratur.*

Nunc haec decennalis mutilatio Erae mundanae Alex-
andrinorum ad primum Diocletiani annum facta, evi-
dentibus argumentis demonſtranda. Scribit *Syncellus*, ut
numero XXIX. diximus, Chriſtnm incarnatum *anno
centeſimo octogeſimo primo undecimae Periodi DXXXII. an-
norum*, anno mundi 5501. eamque Periodum inchoa-
tum fuiſſe anno mundi 5321. anno ſcilicet Periodi Juli-
anae 4531. quod praeter annum Olympiadis, quem Syn-
cellus adhibet, oſtendit Methodus Cyclica. Nam cum
annus 5501. qui reſpondet anno Juliano XLIII. notato
Cyclo Solis VII. partitus per XXVIII. reddat Cyclum So-
lis XIII, manifeſtum eſt, annum mundanum Alexan-
drinum convenire ſemper tam cum periodo Juliana,
quam cum anno Chriſti, anniſque ante Chriſtum, ſi e
Cyclo mundano Alexandrinorum ſex unitates abiici-
antur. Quare, cum annus Alexandrinus 5321. reddat
Cyclum Solis I, annus vero Periodi Julianae 4531. exhi-



beat

beat Cyclum Solis XXIII. certum eſt, utrumque inter ſe recte copulari; Cum ſi Cyclum illum Solis I. et quinque alios ex praecedenti circulo abdices, utrinque Solis Cyclum XXIII. habiturus ſis. Quae methodus tanquam certiſſima in annis Alexandrinis cum annis Periodi Julianae, et cum annis qui ante Chriſtum vel poſt Eram Chriſtianam fluxere, inter ſe componendis, ſemper prae oculis habenda eſt. Ad haec Theophanes, qui Syncelli Chronographiam continuavit, loquens de Conſtantii Auguſti morte ait: *Ab Euzoio Ariano Baptiſmum accepit Antiochiae, numerato tunc temporis univerſi Orbis anno 5852. duodecima poſt undecimam exactam annorum DXXXII. redeunte Periodo.* Incipit is annus mundi anno Dionyſiano CCCLIX. Kalendis Septembris: quo pacto Conſtantius, qui die tertia Novembris paulo poſtquam Baptiſmum accepiſſet; vita functus eſt, eo Chriſti anno ex prava Theophanis Chronologia vivere deſiit. Sed hoc nihil ad noſtrum propoſitum. Incipit is annus mundi ſecundum Alexandrinos anno Periodi Julianae 5072. Verum ab anno mundi 5321. quo ea Periodus DXXXII. annorum exordium habuit, ad annum mundi 5852. ſunt quidem DXXXII. anni. Sed ab anno Periodi Julianae 4531. ad annum eiusdem Periodi 5072. anni DXLII. non vero DXXXII, interiecti ſunt, quia ſcilicet inter illud temporis ſpatium Alexandrini annos decem e ſuo computo mundano reſcidere: ad quam mutilationem neque Syncellus, neque Theophanes, neque Sanctus Maximus, neque denique alii Scriptores Graeci animum adverterunt.

XXXV. *Eadem mutilatio ex S. maximo demonſtrata.*

Neq; dici poteſt Theophanem citius vel tardius quam Syncellum, eam undecimā Periodum mundanā DXXXII. annorum exorſum eſſe. Sanctus enim Maximus, cuius





Eram Mundanam Syncellus ſecutus eſt, cap. 18. poſtquam locutus eſt de anno XXXI. Imperii Heraclii, qui coepit anno mundi 6133. Indictione IV. anno ſcilicet Dionyſiano DCXL. ait: *Si quis ſummam illam annorum 6133. per DXXXII. dividat, habebit integras Periodos annorum DXXXII: et ex duodecima annos CCLXXXI.* Quare duodecimam Periodum annorum DXXXII. ab anno mundi 5852. Erae que Dionyſianae CCCLII. quemadmodum Theophanes, repetit. Ex quo non tantum liquet, Theophanem recte interpretatum eſſe Syncellū; ſed etiam eam decem annorum mutilationem Theodoſii Magni tempore non accidiſſe, ut perperam putavit Petavius in Auctario lib. 8. cap. 3. Poſt Diocletianum vero Alexandrinos Eram ſuam mundanam reformaſſe, S. Maximus cap. 32. inſinuat. Poſtquam enim dixit, Chriſtum conceptum anno mundi 5501. baptizatum 5530. paſſumque anno 5534. ſubdit: Colliguntur ab Incarnatione ipſius uſque ad praeſentem Indictionem (XIV. ſcilicet) anni XXXI. Imperii Heraclii piiſſimi noſtri Imperatoris, anni DCXXXIII. A ſalutari vero Baptiſmo et Paſſione, quot anni lapſi ſint, ex iis manifeſtum eſt omnibus: nimirum ab illo annos fluxiſſe DCIV, ab hac DCI. Annus ille Incarnationis DCXXXIII. coepit anno Dionyſiano DCXL. ut inter omnes convenit. Chriſtus, in ſententia Maximi, triennio ante Eram Dionyſianam in mundum venit, baptizatus anno eiusdem Erae XXVI. mortuusque menſe Martio anni eiusdem Erae XXXI. Quare ab Incarnatione Chriſti ſecundum Alexandrinos, ad annum XXXI. Heraclii, Eraeque Dionyſianae DCXL, colliguntur anni, non DCXXXIII. ſed DCXLIII: a Baptiſmo ad eundem Heraclii annum, non anni DCIV. ſed DCXIV: a morte denique ad eun-

dem terminum, non anni DCI, Sed anni DCXI. En huius mutilationis decennalis inſigne exemplum. Aliud ſuppeditat Nicephorus in Chronographia pag. 402. qui de Imperatore Juſtino Juſtiniani Magni ſucceſſore ait: *Eius anno VII. una ſancti Paſchatis Periodus annorum DXXXII, ex quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſubiit crucem, anno a mundi conditu 6065. Indictione ſexta evoluta eſt.* Eſt hic annus Dionyſianus DLXXII. Conſignat autem Chriſti incarnationem Nicephorus anno Caeſaris Auguſti XLII. mundi 5500. in quo nonniſi verbis differt a Syncello, et Paſſionem, ſicuti ille, anno Dionyſiano XXXI. illigat. Addit Nicephorus: *Conſtantini Imperii anno XX. prima ſancta Synodus Sanctorum CCCXVIII. Patrum Nicaeae Bithyniae habita eſt, anno a Domini noſtri Jeſu Chriſti humanitate aſſumpta CCCXVIII: poſt venerandam autem eius Paſſionem et glorioſam Reſurrectionem anno. CCLXXXV.* Hic annus CCCXVIII: Erae Incarnationis Alexandrinae inchoatur verno tempore anni Chriſti CCCXXV, quo Synodus Nicaena menſe Junio celebrata. Et tamen ab Era Incarnationis Alexandrina ad annum Erae Dionyſianae DLXXII. non anni DXXXII. ſed anni DXLII., evoluti ſunt. Praeterea ab anno Dionyſiano XXXI. ad CCCXXV. eiusdem Erae, non anni CCLXXXV. ſed anni CCXCV. fluxere, ut numeranti liquet. Ex quibus et mille aliis exemplis evidenter innoteſcit, Alexandrinos Eram ſuam mundanam decennio abbreviaſſe; quod et itentidem eosdem, dum temporum intervalla computant, in errorem impellit.

XXXVI. *Haec mutilatio ad annum primũ Diocletiani facta.* Haec autem reformatio non ante Diocletianeum Imperium facta, ut oſtendit Africanus loco ſupra recitato, ubi annum mundi 5723. et Incarnationis CCXXIII. cum Conſulatu Grati et Seleuci anno Dionyſiano CCXXI. geſto,



geſto, recte copulat. Ea itaque facta ad annum primum Diocletiani, quem tam Syncellus, quam eius Continuator Theophanes in annum mundi 5777. Incarnationis CCLXXVII. referunt; cum tamen iuxta Alexandrinorum ſupputationem numerandus fuiſſet annus mundi 5787. Incarnationis CCLXXXVII. In omnibus Hiſtoricis Byzantinis huius mutilationis exemplum vetuſtius non apparet. Secundo, Panadorus tam Eram mundanam, quam Eram Incarnationis Alexandrinorum reformare volens, hoc artificio uſus eſt. Conditum mundi decem annis tardius, quam Alexandrini conſignavit, annumque mundi 5491. cum Juliano XLIII. annum mundi 5492. cum anno Juliano XLIV. annum mundi 5493. cum anno Juliano XLV. connexuit, eidemque anno primum Incarnationis illigavit: ſicque ingenioſe utramque Eram in integrum reſtituit. Nam eo modo annus 5491. et 5501. in quem Alexandrini primum Incarnationis annum coniecere, incipiunt in eodem anno Juliano XLIII. et ſic deinceps. Quare Panadorus, ea Era ſic interpolata, utrumque incommodum ſuſtulit, annoque mundi 5777. numeravit annum Incarnationis CCLXXXIV. quo iuxta Eram Dionyſianam Diocletianus imperare coepit: in quo mundi anno utraque Era mundana, Alexandrinorum ſcilicet, et Antiochenorum, ſeu Africani et Panadori, in unam eandemque coaluit; cum hoc ſolo diſcrimine, quod Alexandrini annum Incarnationis CCLXXVII; Antiocheni vero annum Incarnationis CCLXXXIV. cum eo mundi anno. 5777. copulant, in anno mundi deinceps ſemper convenientes; ſed in anno Incarnationis ſemper diſſidentes. Malum itaque fuit, ubi remedium a Panadoro allatum, in anno nempe mundano,

no, ultra quem Panadorus progreſſus non eſt, quemque intactum reliquit. Tertio, Era Diocletiana a Chriſtianis inſtituta ſola eſt, quam Alexandrini cum anno ſuo mundano non decurtarint. Quemadmodum enim Baronius circa primum Diocletiani annum duo Conſulum paria abdicare non potuit, quin totidem annos ceterarum Erarum iisdem Conſulatibus reſpondentes reſecarit, ut in Critica noſtra monſtravimus; pari eademque ratione Alexandrini annos decem e ſua Era mundana expungere non potuere, quin totidem annis ceteras Eras abbreviarint, ut patet ex exemplis tribus praecedentibus numeris allatis, ſi nempe anni illi mundani, de quibus ibi actum, cum aliis annis quam Dionyſianis, aut annis Periodi Julianae iungantur: illa enim decennalis decurtatio ex omnibus aliis Eris etiam apparebit. Quamobrem cum Omnes Orientales anno Dionyſiano, v. g. DCXL, qui eſt annus mundi Alexandrinus 6133 incipiant annum Diocletiani CCCLVII; (tot enim lapſi ſunt ab anno Dionyſiano CCLXXXIV. annoque mundi 5777. uſque ad annum Dionyſianum DCXL, mundique 6133.) manifeſtum eſt, eam utriusque Erae reformationem ab Alexandrinis poſt primum Diocletiani annum peractam non eſſe: alioquin Eram etiam Diocletianeam decennio breviorem feciſſent. Uno verbo Alexandrini Eram ſuam mutilantes, ceteras omnes, quae iam inſtitutae erant, et illis reſpondebant, etiam mutilarunt, decem ſcilicet annis integris, ſed Eram Diocletianeam ne uno quidem anno breviorem fecerunt. Ea itaque cum ipſa mutilatione inſtituta, anno nempe Dionyſiano CCLXXXIV, quo et ideo illa reformatio accidit. Inde intelligimus, cur Baronius Eras omnes praeter Chriſtianam circa initium Dio-



Diocletiani biennio decurtarit; quia videlicet novam tunc quandam Eram Chriſtianam inſtituit, ſeu verius aſſumſit, qua antea uſus non fuerat, ideoque quam tunc incepit, abbreviare non potuit.

XXXVII. *Anatolius Eram mundanam Alexandrinam decurtavit.*

Quarto denique, ea mutilatio occaſione Cycli decennovalis inducta. Alexandrini enim Cyclos Paſchales ac magnum Cyclum DXXXII. annorum a primo Diocletiani anno repetere ſoliti, ut ſupra oſtendimus. Quare, ut annus mundanus per XIX. diviſus Cyclum primum Lunarem reddere poſſet, eum decennio decurtarunt, et cum annum mundi 5787. numerare deberent, computarunt tantum annum 5777. qui per XIX. partitus reddit Cyclum Lunae I, qui ſcilicet quaerebatur. Auctorem iſtius mutilationis non eſt facile divinare. Sed, cum *Anatolius* Alexandrinis, Laodiceae Syriae Epiſcopus eo tempore floruerit, primusque Cyclum decennovalem propoſuerit, non dubito, quin quemadmodum *Hippolytus* ſexaginta fere ante eum annis Cyclum ſuum ſedecim annorum primo Alexandri Severi Imperatoris anno publicavit; ſic *Anatolius* decennovalem ſuum Cyclum primo Diocletiani Auguſti anno in lucem ediderit. Verum quidem eſt, Bucherium, qui in Opere de Doct. Temp. pag. 447. Cyclum illum Anatolianum repraeſentat, exiſtimare, primum annum Anatolium cum anno Chriſti CCLXXVI, et Georgium Hervartum in nova ſua Chronologia cum anno ſequenti primum illum annum copulaſſe. Sed uterque leviſſimis futilibusque coniecturis ducitur. Melius Calviſius in tertia parte ſuae Iſagoges cap. 16. iudicavit, Anatolium elegantiſſimam hanc Lunarem enneadecaëteridem ab initio Diocletiani exorſum eſſe: a quo poſtea anno Eraque Diocletianea ceteri huiusmo-

iusmodi Cyclorum Conditores eam etiam auſpicati ſunt. Ceterum *Anatolium* ad Cyclum primum Lunarem, quem annus mundanus 5777. reddit, reſpexiſſe, ex eo liquet, quod primus annus Diocletiani in Paſchate habet Cyclum primum; cum tamen nulla huiusmodi cauſa ex motu Lunari ſumi poſſit; fuit enim novilunium die viceſimo tertio menſis Martii, ut notat Calviſius ibidem. In Cyclo autem, ut quivis facile intelligit, nullum plane initium naturale eſt, unde incipere poſſis; ſed ſi quod initium ſtatuitur, id fit θέσει, et ex ſuppoſitione quadam, eiusque ratio aliunde deſumitur. Euſebius lib. 8. Hiſtoriae ſuae cap. 26. ideo Anatolii enneadecaëteridem, etſi confuſiſſimam, depraedicat, quod primus fuerit, qui eam apud Chriſtianos invexit. De Anatolio etiam Hieronymus lib. de Script. Eccleſiaſt. cap. 73. magna cum laude loquitur: *Anatolius Alexandrinus, Laodiceae Syriae Epiſcopus, ſub Probo et Caro Imperatoribus floruit. Mirae doctrinae vir fuit, in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica. Cuius ingenii magnitudinem de volumine, quod ſuper Paſcha compoſuit, et decem libris de Arithmeticae inſtitutionibus, intelligere poſſumus.* Denique per Diocletianei Imperii initia nullus in Oriente fuit, qui in iſtis diſciplinis cum Anatolio conferri potuerit; ideoque qui tanti momenti negotium aggredi auſus fuerit.

XXXVIII. *Era Diocletianea vivente Diocletiano instituta.*

Nec eſt, quod quis arbitretur, Eram Diocletianeam poſt Concilii Nicaeni tempora a Chriſtianis conditam, eique Cyclos Paſchales affixos. Non enim, poſtquam Chriſtianos perſecutus eſt, et eius memoria in omnium odio verſata eſt, id fieri potuit: imo inde factum, ut haec Era, quae eo vivente ac regnare incipiente inſtituta fuerat, dicta ſit poſtea modo *Era Gra-*



*Gratiae*, modo Era *Martyrum*. Praeterea non exiſtimandum, hanc mutilationem, poſtquam Indictionum uſus feruere coepit, excogitatam; quod annus mundi 5777. per quindecim diviſus reddat Indictionem currentem. (Cui tamen Orientales unitatem adiiciunt, quia a Kalendis Septembribus anni initium collocant.) Nam ſi poſt Indictionum inſtitutionem Alexandrini Eram ſuam immutaſſent, aliquem annum mundanum elegiſſent, qui ſine ulla additione currentem Indictionem offerret. Itaque ille annus mundi 5777. caſu tantum Indictionem, quae nondum nata erat, repraeſentavit. Haec pluribus exponenda neceſſario fuere, ut quartum Petavii fundamentum num. XXXII. recitatum, praecipuumque vulgaris erroris, qui aliquos Orientales Eram Incarnationis nono anno Chriſti Dionyſiano inchoaſſe fert, penitus corrueret, conſtaretque eosdem Incarnationis Eram Dionyſianis tardius non incepiſſe, ſed poſt Diocletianum eandem decurtaſſe: ſi enim nulla mutilatio interveniſſet, Erae Alexandrinorum, ut cum noſtra conveniat, non anni ſeptem, ſed octo, quibus tardius illi Incarnationem ſuam inchoaſſent, adiiciendi forent. Quae regula licet communiter recepta, omnino tamen a veritate aliena, ut me demonſtraſſe exiſtimo.

XXXIX. *Opinio Petavii de Eris mundanis Graecorum.*

Fatetur quidem Petavius, mutilationem aliquam interveniſſe, ſed dum eam detegere conatur, non parvam caliginem rei ex ſe obſcurae offundit. Quare quae ipſe eam in rem lib. 8. Auctarii cap. I. 2. et 3. affert, huc adducere, et paucis confutare viſum, ut veritas tandem e tenebris emergat.

*Veteres in Graecia Chriſtiani in annis ab Adamo putandis ſola, quae in ſacris libris extant, intervalla ſpectabant: nec Anna'es Computos ſuos ulla Paſchalem ad methodum χέσει, vel artificio implicatos habebant: ad quod deinceps conſequentium illos temporum formavit induſtria.* (a) *Vt igitur quisque pluribus aut paucioribus annis ſpatia illa terminabat; ita maiores minoresq; ſummas adhibebat: qua de opinionum varietate dictum eſt in Nono de Doct. Temp. c.2.*

*Opinio Africani origo Erae mundanae Alexandrinae.*

*Inter has celebris illa fuit Africani, antiqui et eruditi Chronologi, qui Chriſtum anno mundi 5501. incarnatum eſſe; paſſum vero 5531 aetatis triceſimo primo circiter aſſerui: et originem dedit Erae illi, quam Alexandrinam appellari diximus* (b). *Quem illius Computum nacti poſteri, Auctoris ſui Chronologiam interpolarunt, ac foediſſime conturbarunt.*

(a) Illud certiſſimum: neque enim ante Anatolium Cyclus decennovalis ad methodum Paſchalem adhibitus; ideoque ex eo tantum tempore ex annis mundanis erui coeptus; ſummaq; annorum mundanorum, qui antea mere hiſtorica erat, facta eſt Periodica et artificialis, annis ſcilicet aliquibus ex illa detractis, vel illi additis, ut Cyclos tam Solis, quam Lunae exhibere poſſet.

(b) Licet ante Eram Diocletianeam nullam propriam Chriſtiani haberent; et in Actis publicis Eris Gentilium et Paganorum uterentur: Scriptores tamen,





(c) *Nam decem circiter annis ab eius epocha, a Dionyſiana autem octo, Chriſti Incarnationem abſtraxerunt. Ita Petavius cap. 2. Tum cap. 3. ſequentia ſcribit.*

*Hactenus meras annorum ſummas ab Orbe condito ſine ulla Cyclorum, uti dictum eſt, methodo ſubducebant. Poſtea cum iam uſus artificii iſtius fervere in Eccleſia coepiſſet; placuit annos mundi ſic ad eundem aptare, ut diviſa ſumma per Cyclorum Periodum proprius anni cuiusque Cyclus exiſteret. Quem in*

men, uti Julius Africanus, Hippolytus Martyr, aliique, quorum Scripta periere, communi fere conſenſu ſupponebant, Chriſtum incarnatum eſſe anno mundi 5501. anno ſcilicet Juliano XLIII. Quamquam negandum non ſit, aliquos, uti Theophilum Antiochenum Epiſcopum lib.3.ad Autolicum, peculiari annorum mundanorum numeratione uſum eſſe.

(c) Ad annum primum Diocletiani Alexandrini computum annalem Africani ad Cyclum Lunae accommodarunt, decem ſcilicet annis mundanis, totidemque Incarnationis illis reſpondentibus reciſis. Cum vero poſtea Dionyſius Eram noſtram vulgarem inſtituit, primumque Chriſti annum triennio tardius quam Africanus, conſignavit, Era Incarnationis Alexandrina poſt Diocletianum annis ſeptem, non

*finem partim annorum aliquot detractione, vel additione priores computos immutarunt; partim iis retentis, Incarnationem ac Paſſionem Chriſti alios in annos, quam quibus adſcripti erant initio, relegarunt. Hoc, ut paulatim eveniſſe conjectura noſtra fert, explicare deinceps aggrediar.*

XI. *Prima Era mundana Graecorum ſecundum Petavium.*

*Princeps, quantum ſuſpicari licet, in Aegypto Panadorus, (d) cum animadverteret, annos ab Adamo ex Africani ſententia collectos, ſuper XIX. dividerentur, nequaquam labentem Lunae Cyclum efficere, non dubitavit captandae opportunitatis illius gratia, paucos annos e ſumma decerpere. Jam enim Alexandrinorum Lunaris Cyclus percrebuerat; qui a Paſchali fere menſe ſumens initium, idem erat ac noſter; hoc eſt, primus unius, primus itidem erat alterius: quandoquidem Paſchalis omnis Romanorum Methodus ab Alexandrinorum eſt fonte deducta. Theophilus Alexandrinus Epiſcopus*

vero octo, brevior fuit, quam Dionyſiana.

(d) Communis opinio eſt Chriſtianos Orientales tres Eras mundanas habere, Alexandrinam, Antiochenam et Conſtantinopolitanam; priorem illigare primum annum Incarnationis anno mundi 5501. alteram anno mundi 5493. ultimam anno mundi 5509. Petavius tamen primam cum ſecunda confundit, et loco ſecundae aliam comminiſcitur, quae a nullo unquam populo aut Scriptore antiquo uſurpata fuit, ut mox videbitur. Prior itaq; ſupponit, Chriſtum natum eſſe anno





*Paſchalem Cyclum inſtituit annorum CCCCXXXVII. cujus centum priores annos deſcripſit, orſus a Conſulatu Gratiani V. et Theodoſii Impp. qui eſt annus Erae Chriſtianae CCCLXXX. Cyclo Lunae I.*

mundi 5501. anno Juliano XLIII. Haec ad annum primum Diocletiani decem annis mutilata fuit, vel ab Anatolio, ut ego qvidem exiſtimo, vel ab aliquo alio Scriptore nobis ignoto. Nam Panadorus huius primae reformationis auctor eſſe non potuit; cum, teſte Syncello, *Arcadii Imperatoris ac Theophili Alexandrini Archiepiſcopi tempore* floruerit, poſt annum nempe Chriſti CCCLXXXIII., quo Arcadius a Theodoſio M. patre renunciatus eſt Auguſtus. Et tamen iam a Diocletiani tempore Era Alexandrina decennio brevior erat quam antea, ut iam demonſtravi, et manifeſte liquet ex Theophane in Chronico, ubi annos Diocletiani, Conſtantini M. ceterorumque deinceps Imperatorum cum Era mundana Alexandrina iam decennio mutilata connectit.

*(e). Hic annus ex Africani Calculo putabatur ab Incarnatione CCCLXXXII. ab Adamo 5882. Diviſis 5883. per XIX. relinquuntur XI. atqui I. reſiduum eſſe methodi Paſchalis intererat. Panadorus ergo decem detractis, eundem illum annum numeravit ab Orbe condito 5872. quibus per XIX. partitis, Cyclus ille Lunae primus, qui quaerebatur, exiſtit. Praeterea Incarnationem ac Natalem Chriſti biennio ſubduxit ab Africani Epocha; et in annum redegit, qui trecenteſimus octogeſimus retro putabatur ab exordio Cycli Theophili. Si annus 5872. mundi trecenteſimus octogeſimus ſecundus haberetur ab incarnato Domino; caderet Incarnatio in annum ab Adamo 5491. Panadorus autem eum annum putavit 5493. Igitur primus annus Cycli Theophili, Erae Incarnationis ab illo numeratus eſt trecenteſimus octogeſimus: quae eſt inſignis obſervatio vetuſtatis Erae communis, quam Dionyſianam nominant: quamquam uno anno Incarnationem antevertimus: eo quod Era Chriſti non Incarnationem includit ipſam; ſed a Kalendis Januariis proximis ab Natali incidit, etc. Annos 5493. ſi per XIX. partiare, fit Lunae Cyclus II. qui perinde anno primo Chriſti noſtrati congruit. (f) Ex hac Panadori conformatione accidit, ut computus iſte recens ab Orbe condito, octo annis minor eſſet priore illo, qui fuit Africani. Tametſi enim decem annos de eo Panadorus abſtulit; tamen communem terminum biennio ſummovit. Si Incarnationis priſtinum annum retinuiſſet ab Africano editum; qui eſt Periodi Julianae 4712. biennio ante epocham noſtram; annus primus Cycli Theophili, Chriſti CCCLXXX. fuiſſet Erae Incarnationis Panadori CCCLXXXII; mundi 5872. Ablatis annis CCCLXXXII. de 5872. reſidui ſunt 5490. Ergo annus 5491. eſſet Incarnationis annus. Idem primus Theophili annus ex Africa-*

(e) Annus Dionyſianus, CCCLXXX. nunquam potuit ex Africani calculo putari ab Incarnatione CCCLXXXII, ab Adamo 5882. cum iam a nonaginta annis calculus ille imminutus fuiſſet; et in tota antiquitate nullum exemplum, reperiatur, quo conſtet, Eram illam mundanam ſine mutilatione poſt Diocletianum uſurpatam fuiſſe. Praeterquam quod anno Dionyſiano CCCLXXX. inchoari debuiſſet annus mundi 5883. Incarnationis CCCLXXXIII, quia annus Incarnationis Alexandrinus triennio Eram noſtram Dionyſianam antecedit. *Ceterum haec Petavii verba, Natalem Chriſti biennio ſubduxit ab Africani epocha*, valde obſcura. Panadorus itaque epocham Incarnationis ab Epocha Incarnationis Alexandrinorum biennio ſummovit, ſed ſeptennio eam antevertit in Era mundana Africana.



(f) Era mundana, quam ex Panadoro Petavius exponit, non eſt Era Alexandrina, ut ipſe putat, ſed Antiochena, cuius auctor habetur Panadorus. Nam in prima Erae mundanae reformatione, decem tantum anni tam ex Era mundana, quam ex Era Incarnationis expuncti; a quo tempore Era Incarnationis Alexandrina ſeptem, non vero octo annis brevior fuit. Sed primus annus Incarnationis e loco ſuo minime ſummotus. Contra vero in Panadori conformatione ſeu Erae mundanae Antiochenae, inſtitutione alia mutilatio a memorata longe diverſa, facta. Panadorus enim decem

*ni computo erat ab Adamo 5882. a Chriſti Incarnatione CCCLXXXII. Subductis CCC. LXXXII. de 5882. reliqui ſunt anni 5500. Proinde anno 5501. incarnatus eſt Chriſtus ex Africani ratiociniis. Diſcrimen computi huius et alterius anni X. Verum Panadorus biennio, ut dictum eſt, Incarnationem deſcendere iusſit ad annum 5493. Unde octo annorum duntaxat inter utrumque nata differentia eſt. Acceſſit ad eam Cycli Lunaris opportunitatem, et Indictionis uſus. Nam unitate addita, et ſumma per XV. partita, propria cuiusque anni habetur Indictio. Anni 5872. per XV. diſtributi relinquunt VII. Verum anno Chriſti CCCLXXX. Indictio fuit VIII: unitas ergo adiungi debet ad numerum. Quod ſi annum Africani 5882. per XV. divideres, Indictio II. proveniret: quae longius abeſt ab ea, quae tum putabatur. Quamobrem non minus Indictionis, quam Cycli Lunaris commoditas Panado-*



decem annis tardius quam Alexandrini conditum mundi collocavit; ac praeterea annum primum Incarnationis, non cum anno mundi 5501. annoque Juliano XLIII. ſed cum anno mundi 5493 Juliano XLV. illigavit. Quo pacto, Incarnationem biennio tardius, quam Africanus et Alexandrini, inchoavit. Quare, quae Petavius dicit contigiſſe in prima reformatione Erae mundanae, contigere in ſecunda; ſi tamen excipias mutilationem illam decennalem tam Erae mundi, quam Erae Incarnationis, cuius Anatolium auctorem fuisſe diximus.







*rum impulit, ut Africani computum interpolaret. Siquidem Indictionis uſus per illa tempora vehementius increbeſcere coepit.*

(g) *At enim perſuaſum hoc plerisque fuit, Chriſtum Dominum et Martii XXIII, et Luna XIV. vel XV. id eſt, Plenilunio eſſe paſſum, id eſt in Paſchate Judaico, Martii vero XXV. reſurrexiſſe: quorum illud feria VI. hoc autem feria I. contigiſſe extra controverſiam eſt. Quod Martii XXIII. paſſum eſſe Chriſtum Graeci Computiſtae crediderint, argumento eſt, quod Maximus, Georgius, Chronicon Alexandrinum, Cedrenus, et alii complures ita ſentiunt. Quin etiam Caeſarienſe Concilium, quod Victore Pontifice circa annum Chriſti CXCVII. celebratum eſt, hoc ipſum definiit. Quocirca tria haec in eundem concurriſſe diem Martii* XXIII. *arbitrati ſunt, feriam VI, et Lunam XV, nec non legitimum aetatis modum, ut* XXXIII. *annos circiter aetatis*



XLI. *Secunda Era Graecorum ſecundum Petavium.*

(g) Incipit explicare Petavius ſecundam Eram mundanam Orientalium, ut ipſe exiſtimat, et unde originem ceperit, oſtendere. Verum Era haec mundana, in qua illigat annum mundi 5501. cum anno Juliano LIV, annoque Dionyſiano nono, fictitia, commentitiaque. Exemplum enim quod affert, ut probet, eius auctores Paſſionem Chriſti conieciſſe in annum Dionyſianum XLII, qui revera concurrebat cum anno 5533. Erae Antiochenae a *Panadoro* inſtitutae, eſt de re geſta anno Dionyſiano XXXI, quo incurſu fuit littera Dominicalis G proindeque Martii XXIII. feria ſexta, et Martii XXV. Dominica; Cycli Romani Solis XII. Lunae XIII. Decepit Virum

*haberet: quoniam triceſimo anno baptizatus eſt; ac tria deinde Paſchata peregit. Quibus omnibus commodior nullus annus inveniri potuit, quam qui Erae communis eſt,* XLII, *et in Panadori Computo 5533. exiens, iniensque 5534. Idemque ab Incarnatione, ſecundum Panadorum* XLII. *Nam hoc anno Cyclus erat Solis Romanus* XXIII. *Litera G. proindeque Martii* XXIII. *feria* VI. *et Martii XXV. Dominica. Cyclus Lunae Alexandrinus et Romanus fuit V. Neomenia Nicaena Martii* IX. *et* XXIII, *Luna XV. Ergo non dubitarunt, illo anno Paſſionem accidiſſe. Ut igitur triceſimus hic et tertius, vel quartus aetatis eſſet annus patienti Chriſto, conſtituerunt anno computi Panadori 5501. incarnatum eſſe Chriſtum, Erae vulgaris nono, Periodi Jul. 4722. Huic illorum caſtigationi ſuffragari praeterea vetus illa opinio videbatur, anno mundi 5501. incarnatum eſſe Chriſtum, quam Africanus*

doctiſſimum annus mundi ſecundum Antiochenos 5501. cum quo *Panadorus* annum IX. Incarnationis, qui itidem eſt nonus Erae vulgaris, et cum quo *Africanus* et Alexandrini coniunxere annum primum Incarnationis. Inde enim neceſſario ſequi putavit, Scriptores aut populos extitiſſe, qui Incarnationem inchoarint anno mundi 5501. annoque Juliano LIV; cum tamen quotiescumque annus ille mundi 5501. concurrit cum anno Dionyſiano IX, et Juliano LIV, nunquam ſit caput Incarnationis, ſed ſupponat eam in eadem Era mundana anno 5493. incepiſſe. Annus itaque 5501. in Era Alexandrina, quam Petavius perperam Panadori Eram vocat, principium eſt annorum Incarnationis ſecundum Africanum ac Alexandrinos, annoque Juliano XLIII. inchoatur: in





*auctoritate ſua commendarat. Ita prorſus admirabiliter contigit, ut ad Eram priſtinam ſpretis Panadori calculis redirent: aut, ut priorem illum Computum conſtanter Eccleſiae aliquae, civitatesque retinuerint; (b) Deinceps nulla in eo mutatione facta, epochas Incarnationis ac Paſſionis Chriſti ſolummodo ſollicitarint. Verum, nec in annis mundi cum Africano, nec in annis Chriſti putandis, cum Panadoro conſentiebant. Etenim annus ille Erae Chriſtianae nonus ab Africano numeratus, eſt mundi 5511. Chriſti undecimus; a Panadoro vero mundi 5501. Chriſti nonus. At illi mundi, ut Panadorus, 5501. Chriſti vero primum cenſebant; quod neu-*

Era vero Antiochena reſpondet anno Juliano LIV, annoque nono tam Erae Antiochenae, quam Erae Dionyſianae: neque alter cum altero confundendus; cum ad diverſas Eras mundanas pertineant.

(h) Sicut in anno primo Incarnationis in Era Alexandrina nulla facta eſt immutatio, ſed tantum decem anni ad annum primum Diocletiani ex illa expuncti: ita verum non eſt, ad Eram priſtinam Incarnationis, a cuius primo anno nunquam eos, nec ullos Orientis populos receſſiſſe diximus, Alexandrinos rediiſſe; et commentum eſt, eſſe aliquas Eccleſias civitatesque, quae vel hodie, vel praeteritis ſeculis, Incarnationis Computum incipiant, vel inceperint ab anno mundi 5501. prout cum anno Juliano LIV, annoque Chriſti Dionyſiano nono concurrit. Verum quidem eſt, id a pluribus gra-

*neuter illorum inſtituit.(i)Hinc apparet, recte nos cap. I. docuiſſe, computum hunc annalem et Alexandrinum nihil a Panadori calculo diſcrepare, ſi ad annos Adami vel mundi reſpicias. Tum id conſtat, multum hunc ab Era Africani eſſe diverſum. Quocirca quod in 9. de Doct. Temp. cap. 4 diximus, ex tribus vulgatis Graecorum computis, antiquitatis palmam ei deberi, qui ad Incarcarnationem Chriſti numerat abſolutos annos 5500 late id accipiendum eſt: et καθόλου, ſi annorum tantummodo ſumma ſpectetur, cuiusmodi eam Africanus inſtituit. Sin eo modo conſideretur quo ab computandi magiſtris accommodata poſt ea eſt, cum uſu methodi Paſchalis implexa, eadem eſt cum illa Panadori; ſed eius eſt tractatio, confirmatioque recentior.*

Ita Petavius cap.2.



viſſimisque Auctoribus in literas mandatum fuiſſe, et errorem illum vulgarem omnium ferme animos occupare. Sed Scriptores illi minime antiqui, et in Critica ac eruditione error communis legem facere non poteſt. Natus is error ex Era Incarnationis Alexandrinorum poſt Diocletianum Dionyſiana ſeptennio breviori: ſumta enim inde anſa exiſtimandi ſcribendique, eſſe vel fuiſſe populos, qui Eram Chriſti tardius, quam Latini auſpicati fuerint, cum contra ex eo quod Era haec ſeptem tantum annis quam noſtra brevior eſt, inde colligere debuiſſent, eam non procedere ab anno mundi 5501. quatenus cum anno Juliano LIV. annoque Dionyſiano nono concurrit. Sed tantum abeſt, ut novi iſti Chronologi ita ratiocinati fuerint, ut in alium errorem inciderint, communique conſenſu tradiderint,



rint, Eram illam Incarnationis ſecundum Alexandrinos annis octo a Dionyſiana diſſidere.

(i) Petavius communi illo errore innixus credidit, falſam eſſe communem opinionem, quae docet, Graecorum computos Erasque praecipuas eſſe tres: quia inquit, ex tribus duae ſunt, quae diverſis annis incarnationem aſſignant: videlicet illa quae annos 5493. et quae 5501. colligit. Vnius ergo computi ſummae iſtae duae ſunt: qui cum tertio annorum 5509. Natalem eundem Chriſti reſpicit, et ab illo propterea iure diſtingvitur. Subdit, trium Erarum duas Incarnationem affingere: ac prioris, quae 5501 putat ultimũ convenire Chriſti anno nono; alterius vero quae 5493. numerat, anno primo: adeoque non duos annales computos, ſed unum et eundem eſſe. Etenim annum Chriſtianae vel Dionyſianae Erae primum uterque computus 5493. numerat: nec non annum eiusdem Erae nonum uterque recenſet 5501. quippe de anno currente mundi ad Incarnationis annum aſſequendum priores, annos 5500. detrahunt; poſteriores, 5492. ex quo maior huius, quam illius, calculus efficitur. Annus, exempli cauſa, mundi apud Maximum 6133. detractis 5500. erit ab Incarnatione DCXXXIII, deductis vero 5492 putabitur DCXLI, ad quem revera Maximus perpetuo reſpectum habuit. Itaque in annis mundi conſentiunt ambo computi; in annis Incarnationis diſſentiunt. Non debent igitur, mundi Erae vel computi cenſeri duo, ſed unus duntaxat, cuius ad diverſos annos Chriſti Incarnatio alligatur. Quare duae tantum, quod dicebamus, praecipuae ſunt Erae Graecorum: nempe una, cuius in annum 5493. primus annus Erae Dionyſianae vel communis congruit; et altera, quae eundem annum nume-

„numerat ab Orbe condito 5509. Ita Petavius citatus cap. I. Quod etiam iam tradiderat lib. 9. de Doct. Temp. cap. 3. ſed cum maiori obſcuritate, quae inde provenit, quod ad ſententiam ſuam clare explicandam, computum illum mundanum ad menſuram aliquam nobis penitus notam, uti v. g. ad annum Julianum non applicat.

XLII. *Era prima et ſecunda Graecorum una et eadẽ ſecundum Petavium.*

Mens eius itaque eſt, Eram mundanam Alexandrinam et Antiochenam unam et eandem eſſe, et nonniſi verbis et conſignatione primi anni Incarnationis in eiusdem computi annis, differre. Nam Alexandrini, ut perſuaſum habet Vir doctiſſimus, Incarnationem illigant cum anno mundi 5493. annoque Juliano, XLV: Antiocheni vero cum anno eiusdem computi mundani 5501. annoque Juliano LIV. qui eſt annus Erae Dionyſianae nonus, exiſtimantes, deceptos eſſe Alexandrinos, dum initium Incarnationis octo annis citius in eadem Era mundana collocarunt. Quae ſi vera eſſent, non dubium, quin Era Alexandrina et Antiochena ante Diocletianum una et eadem eſſet, uti poſtea fuit; quemadmodum dici non poteſt, eos qui Martyrium Sancti Ignatii Antiocheni Epiſcopi cum anno Dionyſiano CVIII. iungunt, diverſa Era Chriſtiana uti ab iis, qui illud in annum CXVII. conferunt. Era autem mundana Conſtantinopolitana, juxta Petavii ſenſum, ab Era mundana Alexandrinorum ſeu Antiochenorum prorſus diſcrepat; quia annum mundi 5493. cum anno Juliano XXIX. copulat, annum mundi 5501. cum anno Juliano XXXVII., annumque 5509. cum anno Juliano XLV: cum tamen annus mundi 5509. in Era Alexandrina ſeu Antiochena incipiat anno Juliano LXI. Ex quibus infert Petavius, duas tantum eſſe Eras mundanas





nas Orientalium, et in prima annum Incarnationis diverſimode inchoari. Verum, cum iam demonſtravimus, nullum antiquum Scriptorem, niſi erraverit, nullumque unquam populum crediḋiſſe, Chriſtum natum eſſe anno 5501. quatenus cum anno Dionyſiano XI. et Juliano LIV. concurrit, omnino diſtinguendae duae Erae mundanae, in quarum altera annus 5501. annusque primus Incarnationis anno Juliano XLIII. exordiuntur: in altera vero, Antiochena ſcilicet, annus mundi 5501. annusque Incarnationis XI. anno Juliano LIV. initium deſumunt.

XLIII. *Petavius non intellexit modum computandi a S. Maximo uſurpatum.*

Porro Petavius ſententiam Maximi explicans, non ſolum in exemplo laudato, ſed et in aliis, quae paſſim ex eo affert, pugnantia dicit. Modo enim aſſerit, eum Incarnationem cum anno mundi 5501. annoque Dionyſiano IX. et Juliano LIV. coniunxiſſe; modo vero eandem ab anno mundi 5493. deduxiſſe: cum tamen haec contraria ſint. Maximus itaque Incarnationis epocham anno mundi 5501. annoque Juliano XLIII. auſpicatur: ideoque anno Dionyſiano DCXLI. ineunte, quo computum ſuum Eccleſiaſticum ſcribebat, numerare debuiſſet annum mundi 6143. annumque Incarnationis DCXLIII. Sed quia iam a tribus et amplius Seculis Era Alexandrina decennio mutilata fuerat, collegit tantum annum mundi 6133. Incarnationis DCXXXIII; eo nempe Incarnationis anno ab anno mundi 5501. repetito. Hanc mutilationem invicte oſtendit annus Iulianus DCLXXXV, in quo tam ille mundi quam Incarnationis annus initium ſumit. Nam decem annis ex illo numero detractis, reſtat annus Julianus DCLXXV; ex quo ſi rurſus DCXXXIII. annos Incarnationis, quos Maximus fluxiſſe dicit, demas, reſiduus numerus eſt XLIII: Ideoque annus

nus ille Incarnationis DCXXXIII. originem ducit ab anno Iuliano XLIII, annoque mundi 5501. quod Petavius negare non poteſt; cum ipſemet fateatur, Alexandrinos annos decem ex Era ſua decerpſiſſe; licet in eo erret, quod hanc immutationem anno Dionyſiano CCCLXXX. factam eſſe credat. Ex quo etiam Exemplo manifeſtum fit, Alexandrinos, dum utramque Eram ſuam, mundi ſcilicet et Incarnationis, truncarunt, initium Incarnationis ab anno mundi 5501. annoque Juliano XLIII. non removiſſe.

XLIV. *S. Maximus in primo Incarnationis anno conſignando ſibi non conſtat.* Sed non tantum Petavius in Maximi opinione exponenda pugnantia dicit; ſed etiam ipſemet *Maximus* non ſibi conſtat. Cum enim is librum ſuum ſcripſerit, anno Chriſti DCXLI. quo currebat annus Incarnationis ſecundum Alexandrinos. DCXXXIII; et decennalem illam tam Erae mundanae quam Incarnationis mutilationem non animadverterit, de utraque Era loquitur, ac ſi ſemper eodem, quo ſuo tempore, modo uſurpata fuiſſet; Indeque annum illum Incarnationis ſecundum Alexandrinos DCXXXIII. deducit ab anno Dionyſiano IX. et Juliano LIV. quaſi eo anno Chriſtus incarnatus fuerit. Nam in parte ſecunda ſui Computi cap. 2. ubi refutat *Undecuplatores*, qui Auctores extitere Erae mundanae Conſtantinopolitanae, ut infra videbitur, exhibet *Rotam* artificioſam, in cuius primo circulo anni XXVIII. Solis (ſic Cyclos Solis nominat) deſcribuntur, ducto initio, non a primo, ſed a XIII. XIV. et ita deinceps. In tertio circulo Juliani quadriennii biſſextiles habentur; et in quarto iterum anni ſeu Cycli Solis XXVIII. repræſentantur, et quidem inchoati a primo Cyclo. *ut ſtudioſus Lector facilius intelligeret, quem illi* (nempe Undecuplatores) *computant primum Solis annum, apud nos eſſe XIII. et ſecundum*

XIV.



*XIV, et ita porro eadem omnino ratione*, inquit Sanctus Maximus. Si itaque Cyclus Solis XIII, quem reddit annus mundi ſecundum Alexandrinos 5501. concurrit cum Cyclo Solis I. ſecundum Conſtantinopolitanos, ut in illa *Rota* videre eſt, Chriſti Incarnatio, quam Maximus factam dicit anno mundi 5501. notato Cyclo Solis XIII, omnino competit in annum Dionyſianum IX. quo in curſu fuit annus Conſtantinopolitanus 5516. qui per XXVIII. diviſus reddit Cyclum Solis I. Praeterea in eadem *Rota* Cyclus Solis XII Alexandrinus reſpondet anno biſſextili, qualis fuit annus Dionyſianus VIII. Incarnationem itaque ex Maximi mente annus biſſextilis proxime anteceſſit, eaque facta, currente Cyclo Conſtantinopolitano primo, quae duo non conveniunt anno Juliano XLIII, cum quo Alexandrini annum mundi 5501. communi conſenſu coniungunt. Denique cap. 17. primae partis ait, Cyclum Solis XXVIII. per quatuor diviſum offerre annos biſſextiles; ita ut Cycli Solis IV, VIII, XII, et ſic deinceps, cum annis biſſextilibus concurrant. Ex quo conſequens eſt, iuxta Maximum, Chriſtum incarnatum non eſſe anno Juliano XLIII, quia annus Julianus XLIII. biſſextilis non fuit. Ad hoc argumentum, omnium, quae ex Maximo afferuntur, validiſſimum, Petavius animum non advertit. Verum, vel Sanctus Maximus ſibimet manifeſte contradicit; cum ex iis, quae ex eodem ſupra in medium adduximus, conſtet, eum copulaſſe primum Incarnationis annum cum anno Juliano XLIII, ſicuti et ceteros omnes Erae mundanae Alexandrinae Sectatores; vel illius decennalis mutilationis ignoratione in errorem Maximus trahitur, dum ſcilicet annum mundanum Alexandrinum unum eundemque cum anno mundano Antiocheno ſemper fuiſſe pu-



tat,

tat, uti erat eo ſeculo, quo ipſemet ſcribebat, anno nempe Dionyſiano DCXLI. Eo itaque tempore Cyclus Solis per quatuor diviſus tunc dabat annos biſſextiles; et Cyclus Solis XIII. Alexandrinus concurrebat cum primo Cyclo Solis Conſtantinopolitano. Verum ante Imperium Diocletiani ac decennalem mutilationem, cuius ſaepius meminimus, annus mundanus Alexandrinus valde diſcrepabat ab anno mundano Antiocheno; ideoque diverſis Cyclis Solis hae duae Erae mundanae inſigniebantur, ut iam explicavimus. Nec ullo modo dubitari poteſt, quin Sanctus *Maximus* Eram Incarnationis Alexandrinam, non vero aliam ab ea diverſam, ut perperam autumavit Petavius, ſecutus fuerit; cum haec Era deſinat iisdem numeris ac mundana Alexandrina, et Maximus tradat, ultimum Heraclii Imp. annum fuiſſe annum mundi 6133. Incarnationis vero DCXXXIII. quas Eras duas Alexandrinas eſſe, ipſis etiam caecis liquet.

XLV. *Explicatur ſecunda Periodus Orientalium.*

Venio nunc ad Eram mundanam *Antiochenam*, ut communiter nuncupatur, quae tamen melius *Graeco-Alexandrina* vocaretur; cum poſt initium Imperii Diocletiani ab Alexandrina non differat. *Panadorus* Monachus Aegyptius, quo vetuſtior non invenitur, qui eius meminerit, coniunxit annum primum Incarnationis cum anno mundi 5493. annoque Juliano XLV. ut variis exemplis ex Syncello deductis demonſtrat Petavius in Auctario lib. 8. cap. 1. Qua de re quia inter omnes convenit, actum non agam. Cum itaque Alexandrini annum mundi 5501. cum anno Juliano quadrageſimo tertio; Antiocheni vero annum mundi 5491. cum eodem anno Juliano XLIII. connectant: manifeſtum eſt, ex Era mundana Alexandrina Antiochenam formatam; et Panadorum





rum, vel forſan alium eo antiquiorem, Incarnationem ex anno Juliano XLIII. ad XLV. retraxiſſe; conditumque mundi decennio tardius quam Africanum et Alexandrinos, inchoaſſe: cum ad annum Julianum XLIII. Alexandrini ſupponant, fluxiſſe tum annos mundanos 5501. Antiocheni vero nonniſi 5491. quae immutatio in capite Incarnationis a Panadoro facta, ne decennalis illa mutilatio, quam *Anatolius* induxerat, Eram Alexandrinam impoſterum foedaret. Nam, ut recte Petavius lib. laudato cap. 4. ex veſtigiis Chronologiae Panadori coniectura fieri poteſt, accuratum in rebus mathematicis ac diligentem hominem fuiſſe; atque haud paulo intelligentiorem eius reprehenſore Georgio, apud quem ea veſtigia extant, et cuius in hoc genere infinita peccata ſunt: ſed nullum maius, quam quod ea vellicare inſtituit, quae neque capiebat ipſe, et ab ipſo Panadoro, quem accuſabat, fuerant ſcripta conſtanter. Totum itaque huius ſecundae reformationis artificium in eo ſitum, quod Panadorus creationem mundi decem annis, Incarnationem vero biennio tardius quam Alexandrini, poſuerit. Annus enim Antiochenus 5491. concurrit cum Anno Alexandrino 5501. eoque anno Alexandrini Incarnationem exordiuntur: annus 5492. cum anno 5502. annus 5493. cum anno 5503. quo Alexandrini tertium Incarnationis; Antiocheni vero primum inchoant, et ſic deinceps, usque ad annum primum Diocletiani Imp. ſeu annum mundi ſecundum Alexandrinos 5777. quia cum eo anno Alexandrini decennio tam Eram mundanam quam Incarnationis decurtarint, non amplius Antiochenos decennio in annis mundi antecedunt, nec triennio in annis Incarnationis; ſed unam eandemque Eram mundanam utrique habent, adeo ut eo

mundi anno, quo Diocletianus menſe Sept. Imperium iniit, Antiocheni incipiant annũ mundi 5777. Incarnationis CCLXXXV; Alexandrini autem annum mundi 5777. Incarnationis CCLXXVII: ideoque in hac ſecunda Era Antiochenos non amplius triennio praecedunt Alexandrini, ſed ſeptennio tardiores ſunt, ob decem ſcilicet annos Incarnationis abdicatos; quod etiam reſpectu Erae Dionyſianae dicendum, cum Latini et Antiocheni eadem Era incarnationis utantur.

XLVI.

*Incertum, an Epocha Incarnationis ſecundũ Antiochenos vere Era fuerit, an tantum opinio.*

Fateor tamen, me in nullis Scriptoribus Graecis huius Erae Incarnationis ſecundum Antiochenos exemplum aliquod poſt Diocletianum inveniſſe. Quare, valde ſuſpicor, ne Panadorus, vel aliquis alius Antiocheni computi artifex potius propriam opinionem propoſuerit, quam Eram aliquam Incarnationis invexerit: praeſertim, quia ipſemet apud Syncellum tradit, Concilium Nicaenum celebratum eſſe anno Incarnationis CCCXVI. juxta Computum nempe Alexandrinorum; cum tamen iuxta proprium ſcribere debuiſſet, anno Incarnationis CCCXXIV. menſe Septembri inchoato, quia Concilium Nicaenum celebratum eſt menſe Junio anni Dionyſiani CCCXXV. quo adhuc in curſu erat annus Incarnationis CCCXXIV. ſecundum Antiochenos. Verum quidem eſt, Epiphanium num. IX. laudatum ſcribere, *Manen* haereticum apparuiſſe ſecundum aliquos anno Aſcenſionis (ita perperam Incarnationem vocat) CCLXXVI. tempore Probi Imp. qui eo anno juxta Eram Dionyſianam imperare coepit. Sed non inde ſequitur, Epiphanium alicui Erae eum annum attribuiſſe; cum de privatorum quorundam Scriptorum ſententia intelligi poſſit. Quod ſi haec conjectura admittenda ſit, Dionyſius primus fuerit, qui Panadori opinionem ad E-

rae



rae gradum promoverit. Quod obiter dictum ſit. Porro Periodus mundana Alexandrinorum Antiochenam repraeſentabit, ſi decennium ex ea abiicias: contra vero Periodus mundana Antiochenorum Alexandrinam, ſi decem unitates adieceris.

XLVII.

*Explicatur tertia Era Orientalium Chriſtianorum.*

Poſt aliquot Secula Periodus mundana Antiochenorum a Conſtantinopolitanis rurſus reformata; annusque Incarnationis cum anno quidem Juliano XLV. uti Panadoro, et poſt eum Dionyſio Exiguo placuit, ſed cum anno mundano 5509. coniunctus. is annus partitus per XV. reddit Indictionem quartam, qua ſecundum Orientales annus primus Incarnationis annusque Julianus XLV. inſigniti ſunt a Septembri, a quo annum civilem exordiuntur. Fervebat tunc Indictionis uſus, quam ut annus mundanus per XV. diviſus exhibere poſſet, mundi creationem annos ſedecim ante Antiochenos auſpicati ſunt, adiecto ſcilicet integro Indictionis circulo, ac praeterea unitate. Indeque fit, ut ſi ex Era mundana Conſtantinopolitanorum ſedecim annos abiicias, ad Antiochenam pervenias: et e contra ſi Antiochenae annos ſedecim addas, Conſtantinopolitanam aſſequaris. Eius inſtituendae aliam etiam cauſam Petavius lib. 8. Auctarii cap. 3. affert, Cycli ſcilicet Judaici commoditatem, quem et Victorinus, ac Latini et Occidentales plerique ſecuti ſunt. Quamquam nihil praeter Cyclorum vel aureorum nummorum ordinem expreſſiſſe Graecos exiſtimet; nec in celebrando Paſchate ad eos errores adhaeſiſſe, quos in Victorini ac Latinorum ſectam praepoſtera Judaeorum imitatio transfudit. Cyclus Judaicus ac Latinus ab Alexandrino et, Romano, ternario discrepat: ut qui primus eſt Romanorum, Latinorum ſit XVIII, qui illorum tertius, horum

ſit

ſit XIX, ut lib. 6. de Doct. Temp. pluribus exponit; praeſertim cap. 5. ubi numeris amborum aureis Kalendarii Romani dies utrimque ſtipavit. Ibi ad Kalendas Januarias Romanus numerus adſcriptus eſt III. Latinorum XIX. Eiusmodi Cyclorum ratio in poſtremo hoc computo locum habet. Nam diviſis 5509. per XIX, reſtant XIIX. qui Judaicus Cyclus et Latinus erat anno Incarnationis ſive communis Erae primo: ad quem tribus adiectis, efficitur aureus numerus Alexandrinorum II. qui eundem annum occupat. Sic anno Chriſti 1373. aureus numerus Alexandrinus erat VI. Hunc annum Iſaacus Monachus numerat huius Erae 6881. quo numero per XIX partito, ſuperſunt III. Proinde Judaicus iſte Cyclus fuit anni 1373.

XLVIII. *Antiquitas Periodi Conſtantinopolitanae.*

Scaliger lib. 3. Canonum Iſagogicorum p. 280. ait, ſe inter Latinos, qui eius Erae meminĕrit, vetuſtiorem inveniſſe neminem, quam Auctorem Opuſculi Bedae perperam attributi, cui titulus, *Compoti Ratio.* Is enim Scriptor dicit, *anno 6279. Chriſti vero DCCLXXI.* &c. Verum antiquius exemplum habemus in ſexta Synodo Generali anno Dionyſiano DCLXXX. habita, in qua haec Era mundana uſurpata. Dicitur enim Concilium coactum anno mundi 6189. Petavius in Auctario lib. 8. cap. 14. et ſeq. Computum Eccleſiaſticum Sancti Maximi Martyris explicans, docte oſtendit, iam eo tempore, quo ille Computus elucubratus, anno nempe Chriſti Dionyſiano DCXLI., Eram mundanam Conſtantinopolitanam agnitam fuiſſe. Ibi enim Maximus contra certos Computi Paſchalis artifices diſputat, quos πεντaπλοῦντας, et ἑξαπλοῦντας, nominat, quosque nos *Undecuplatores* appellare poſſumus; hoc eſt, quinquies et ſexies annos Cycli Lunaris multiplicantes, vel, ut uno verbo id exprimatur,



*undecies.* Fuerunt hi auctores illius computi, quem Conſtantinopolitanum nominamus, qui Erae Chriſtianae primum annum offert in eo, qui eſt ab Adamo 5509 quod partim ex Cyclis Solis et Lunae, partim ex annorum numero Petavius colligit. Cyclus enim Lunaris *Undecuplantium* XI. Antiochenis eſt XIV; illorum primus eſt, horum quartus; illorumque primus Solaris eſt Antiochenſibus quartus; ideo *Undecuplatores* alium annum mundanum non habebant, quam Conſtantinopolitanum hodiernum, ut patet ex Tabula Erarum Graecarum mox ſubiicienda. Praeterea ait Maximus c. 12. primae partis ſui Computi, *Undecuplatores* ad annos Adami addidiſſe ſedecim, quod Conſtantinopolitano Computo congruit. Siquidem annus primus Erae Chriſtianae in Antiocheno numeratur 5493. in Conſtantinopolitano 5509. Intervallum anni XVI. Plura hac de re Petavius citatus, ubi addit Maximum ſic de Computatoribus hiſce, qui XVI. ad Eram Adami adiecerunt, quaſi de recentioribus, et aequalibus pene ſuis, loqui. Quare Periodus ſeu Era mundana Conſtantinopolitanorum, qui his etiam noſtris temporibus in Patriarchatu Conſtantinopolitano, in Moſcovia, aliisque regionibus olim Patriarchae, Conſtantinopolitano ſubiectis, viget, Heraclio imperante, vel circiter inſtituta.

XLIX. *In qualibet Periodo Orientalium Chriſtianorum omnes contentae.*

Artificio trium iſtarum Periodorum mundanarum retecto, facile eſt easdem ad unicam reducere, et ubi unam tenueris, ceteras animo tuo repraeſentare. Inveniſ v. g. in aliquo rerum Byzantinarum Hiſtorico, Conſtantinum Magnum Circulum Indictionis inſtituiſſe anno mundi Alexandrino ſeu Antiocheno, qui poſt Diocletianum unus et idem eſt, 5805. anno nempe Dionyſiano CCCXII, quo Kalendis Septembris inchoatur. Si ſcire velis,

velis, quem tunc annum Conſtantinopolitani numerarent, adiice ſedecim: ſicque tibi non ſolum conſtabit, Indictiones anno mundi Conſtantinopolitano 5821. inſtitutas eſſe, ſed etiam quo anno id acciderit in qualibet Periodo mundana Orientalium. Quod ſi dubites, an erraveris, annum illum Conſtantinopolitanum per XV. partire, invenieſque, illum Indictionem I. relinquere: ideoque et eam utriusque anni connexionem certam eſſe: cum Antiocheni et Alexandrini unitatem addere cogantur, ut in anno mundano currentem apud omnes Orientales Indictionem aſſequi poſſint. Annus autem mundi Alexandrinus 5805. Indictionem XV. reddit, quemadmodum et annus Dionyſianus CCCXII.

L. *Periodi Chriſtianorum Orientalium hactenus obſcurae.*

His ita conſtitutis, apparet, quantis hactenus tenebris Erae mundanae Graecorum circumfuſae fuerint, tertia excepta, quae, quod in multis libris legatur, et a variis populis etiamnum uſurpetur, omnibus nota. Scaliger, qui primus omnium eas in Opere de Emendat. Temp. examinavit, priorem vocavit *Orientalem*, annumque 5501. in annum Julianum XLV. incidere credidit; alteram *Lunarem* appellavit, et Incarnationem in annum mundi 5495. Julianum XLV. coniecit; tertiamque *Paſchalem* nuncupavit, in eaque Incarnationem cum anno 5509. Juliano XLV. inchoavit. Hanc tamen cautionem addidit, ut in Computo Lunari duo perpetua methodo ſubtrahantur. Cum vero lib. 8. p. 689. Computum Aethiopicum exponit, addit: *A principio rerum ad Chriſtum putant* (nempe Aethiopes) *annos 5500. ſed Eccleſia Antiochena uno plus 5501. eamque Eram vocant*, ἀπὸ πλάσεως Ἀδὰμ, *a caſu Adam. Mira autem hallucinatio inde eos inceſſit. Nam, cum Graecorum Computus Paſchalis ab initio rerum ad Chriſtum putet annos 5508. iſti vero 5501. hinc factum, ut de ſumma anno-*
*rum*



*rum Chriſti Dionyſianorum detrahant annos VII. Hoc faciunt Aethiopes ipſi et Graeci quidam, Maximus Monachus, et Hiſtoria Conſtantinopolitana, ex qua libros ſuos conſarcinavit Landulfus Sagax. In annis enim Chriſti ſemper abſunt a Computo Dionyſiano annis VII. Itaque Aethiopes Aegyptienſes annum Chriſti 1585. putabant 1577. a die XXIX. menſis Auguſti anni 1584.* a quo die tam annum mundi quam annos Diocletiani incipiunt. Verum priorem Eram perperam *Orientalem* vocat, cum tam Georgius, quam Theophanes eam nominent, κατ' Αἰγυπτίους, id eſt, *Aegyptiacam*, ſive Ἀλεξανδρεῖς, id eſt *Alexandrinam*, et tertiam κατ' Ῥωμαίους, *Romanam*, quia Conſtantinopolis *nova Roma* fuit. Cur enim Eris a multis ſeculis inſtitutis propria nomina eripere, novaque imponere; quod ſolum licet, cum de re conſtat, nomen vero ignoratur, ut contingit in ſecunda Graecorum Era mundana, cuius proprium nomen huc usque ignotum. Ad haec, cur initium Incarnationis in hac ſecunda Era ab anno mundi 5495. repetere; cum Panadorus, qui eius inventor reputari poteſt, illud ab anno 5493. deſumſerit? Porro Petavius tam lib. 9. de Doct. Temp. cap. 5 quam in Auctario lib. 8. cap. 6. pluribus oſtendit, eas appellationes male illis Eris inditas, praeſertim, cum tam era Conſtantinopolitana, quam Antiochena ad Lunam directa, et Lunaris fuerit; quatenus iis diebus uterque Cyclus adſcriptus ſit, in quos Nicaeni Concilii tempora Novilunia competebant, ut Petavius docte oſtendit. Neque etiam verum eſt, in priori Era Incarnationem collocari anno Juliano XLV, neque qui Incarnationem ab anno 5500. auſpicantur, differre ab iis, qui ab anno 5501. incipiunt: nec etiam Aethiopes et Aegyptios, qui in hunc usque diem Era Alexandrina utuntur, Eram Dionyſianam mutilaſſe; cum Era Incarnatio-



natio-

nationis, quam adhibent, diverſa ſit a Dionyſiana, et longe antequam Dionyſius naſceretur, inſtituta.

LI. *Periodum Alexandrinam et Antiochenam poſt Dioclecianum unā et eandem eſſe, Scaligerum fugit.*

Denique Scaliger ad decennalem mutilationem Erae Alexandrinae animum non advertit, ideoque tres Eras illas mundanas etiamnum hodie in Oriente uſurpari credidit: opus enim de Emendatione Temporum p.784. his aliisque temporum Notis abſolvit: Exactum opus Dei Opt. Maximi gratia, feria tertia.

ANNO

*Cycli Solaris decimo.*
*Cycli Lunaris ſecundo.*
*Periodi Julianae 6310.*
*Erae Conſtantinopolitanae Paſchalis 7105.* } IX. KAL. JVNI.
*Erae Conſtantinopolitanae Lunaris 7091.*
*Erae Orientalis 7098.*
*Erae Caeſaris Hiſpanicae 1635.*

Eſt is annus Erae Dionyſianae 1597. ut tam feria III. quae eo Chriſti anno in diem IX. Kalend. Junii, ſeu diem XXIV. menſis Maii incurrit, quam Cyclus Solis X. Lunae II. annus Periodi Iulianae 6310. annusque 1635. Erae Hiſpanicae certo manifeſtant. Quamobrem erat is quidem annus Conſtantinopolitanus, quem perperam Scaliger vocat annum *Erae Conſtantinopolitanae Paſchalis*, 7105. a Septembri anni Chriſti antecedentis inchoatus; ſed non erat annus Antiochenus, quem ipſe *Conſtantinopolitanum Lunarem* appellat, 7091. ſed 7089. qui menſe Septembri anni Chriſti 1596. initium habuit: qui error profluxit ex eo quod Scaliger annum primum Erae Dionyſianae non ab anno mundi 5493. ut fieri debet, ſed ab anno mundi 5495. repetat. Praeterea annus ille mundanus 7098. Erae Orientalis ſeu Alexandrinae





plane fictitius eſt, et a nemine unquam uſurpatus; cum ad annum primum Diocletiani Alexandrini, et Antiocheni eadem Era mundana utantur, poſt praefatam ſcilicet decem annorum mutilationem. Denique *Calviſius*, qui primus omnium Chronico certis temporum characteribus munito Orbem literarium beavit, Erae Conſtantinopolitanae, aliarumque praecipuarum tam Solarium, quam Lunarium annos ſemper notat, Alexandrinae vero, et Antiochenae nusquam meminit; quia ſine dubio quomodo ex illis ambagibus ſeſe extricaret, non habebat.

LII. *Cycli Solares et Lunares harum trium Erarum inter ſe comparati.*

Scaliger lib. 7. de Emendat. Temp. pag. 747. exhibet Tabulam Cyclorum trium Erarum mundanarum Orientalium, ſed vitioſam; quod initium Incarnationis in Era Alexandrina eum fugeret. Heic ego aliam Cyclorum Solarium et Lunarium ac literarum Dominicalium Romanarum ſubiicio, annis omnium Computorum a Kalendis Ianuariis repetitis; quamvis civilis annus et Indictio ab antecedente Septembri incipiant. Romanus numerus Cyclos Solis, Arabicus Cyclos Lunae repraeſentat.

# TABVLA CYCLORVM SOLARIVM ET LVNARIVM IN ERIS MVNDANIS GRAECORVM.

| Linea utriusque Cycli in Era Dionyſ. | Linea utriusque Cycli in Era Alex. | Linea utriusque Cycli in Era Antioch. | Linea utriusque Cycli in Era CP. | Linea literæ Dominicalis Romanæ. | Termini Paſchales. | Anni Juliani. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| V. 16 | X. 7 | XXVIII 16 | XVI. 13 | BA. | | XLI. |
| VI. 17 | XI. 8 | I. 17 | XVII. 14 | G. | | XLII. |
| VII. 18 | XII. 9 | II. 18 | XVIII. 15 | F. | | XLIII. |
| VIII. 19 | XIII. 10 | III. 19 | XIX. 16 | E. | | XLIV. |
| IX. 1 | XIV. 11 | IV. 1 | XX. 17 | DC. | V.April. | XLV. |
| X. 2 | XV. 12 | V. 2 | XXI. 18 | B. | XXV. Mart. | XLVI. |
| XI. 3 | XVI. 13 | VI. 3 | XXII. 19 | A. | XIII. April. | XLVII. |
| XII. 4 | XVII. 14 | VII. 4 | XXIII. 1 | G. | II.April. | XLVIII |
| XIII. 5 | XVIII. 15 | VIII. 5 | XXIV. 2. | FE. | XXII.Mart. | XLIX. |
| XIV. 6 | XIX. 16 | IX. 6 | XXV. 3 | D. | X.April. | L. |
| XV. 7 | XX. 17 | X. 7 | XXVI. 4 | C. | XXX. Mart. | LI. |
| XVI. 8 | XXI. 18 | XI. 8. | XXVII. 5 | B. | XVIII. Apr. | LII. |
| XVII. 9 | XXII. 19 | X. 9 | XXVIII 6 | AG. | VII.April. | LIII. |

XVIII.



| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| XVIII. 10 | XXIII. | XIII. 10 | I. 7 | F. | XXVII.Mar | LIV. |
| XIX. 11 | XXIV. | XIV. 11 | II. 8 | E. | XV. April. | LV. |
| XX. 12 | XXV. | XV. 12 | III. 9 | D. | IV.April. | LVI. |
| XXI. 13 | XXVI. | XVI. 13 | IV. 10 | CB. | XXIV.Mart. | LVII. |
| XXII. 14 | XXVII. | XVII. 14 | V. 11 | A. | XII.April. | LVIII. |
| XXIII. 15 | XXVIII | XVIII. 15 | VI. 12 | G. | I.April. | LIX. |
| XXIV. | I. | XIX. | VII. | F. | XXI.Mart. | LX. |
| XXV. | II. | XX. | VIII. | ED. | IX.April. | LXI. |
| XXVI. | III. | XXI. | IX. | C. | XXIX.Mart. | LXII. |
| XXVII. | IV. | XXII. | X. | B. | XXVII.Apr | LXIII. |
| XXVIII | V. | XXIII. | XI. | A. | | LXIV. |
| I. | VI. | XXIV. | XII. | GF. | | LXV. |
| II. | VII. | XXV. | XIII. | E. | | LXVI. |
| III. | VIII. | XXVI. | XIV. | D. | | LXVII. |
| IV. | IX. | XXVII. | XV. | C. | | LXVIII. |

Vides in hac Tabula, Cyclum Solis tam in annis Antiochenis, quam in Conſtantinopolitanis per quatuor diviſum, annum biſſextilem offerre, ideoque annos notatos Cyclo Solis IV, vel VIII, vel XII. et ſic deinceps, biſſextiles eſſe. Cyclus autem Solaris Erae Alexandrinae inſeruire tantum poteſt usque ad primum Diocletiani annum, qui mundi eſt ſecundum Alexandrinos 5777. ob il- LIII. *Cycli Solis Erae Alexandrinae eius mutilationem produnt.*

lam

lam ſcilicet mutilationem, quae ideo inde evidentiſſime demonſtratur; Qui enim Cyclo illo Solari poſt Diocletianum uteretur, decem annis omnino aberraret. v. g. annus mundi 5944. qui Kalendis Septembris anni Dionyſiani CCCCLI. coepit, praeditus eſt Cyclo Solis VIII, litera Dominicali D. quae ideo indicare debet literam Dominicalem Romanam anni Chriſti CCCCLII, a cuius Kalendis Januariis Cyclos Graecos nos inchoare diximus, quod maior pars anni civilis, v. g. 5944. a Januario ad Septembrem fluat. Et tamen annus Dionyſianus CCCCLII. notatur duplici litera Dominicali FE. Litera itaque Dominicalis D. Cyclo Solis VIII. Alexandrino affixa duceret ad annum Dionyſianum CCCCXLII. litera Dominicali D inſignitum, quia ſcilicet Alexandrini annis decem Eram ſuam decurtarunt. Si Cyclo Solis Alexandrino VIII. addas decem Cyclos, qui decem annis ab Alexandrinis pratermiſſis reſpondent, habebis literam Dominicalem FE. Cyclo Solis XVIII. affixam, qua annus Dionyſianus CCCCLII. ut mox dixi notatur. Huius Tabulae opera cognoſces, an in coniungendis annis mundanis Graecorum cum annis Dionyſianis erraveris; anni enim illi mundani in maiori ſui parte, a Kalendis ſcilicet Januariis usque ad Kalendas Septembris eadem litera Dominicali ac annus Dionyſianus, in quo deſinunt, praediti eſſe debent; quamquam facilior eſt methodus ex Indictione deſumta, quae ideo praeferenda.

LIV.

*Anni mundani Graecorum primi Seculi Chriſtiani cum Dionyſianis illigati.*

Vt autem haec annorum Graecorum cum Dionyſianis connexio manifeſtior fiat, et ne decennalis illa mutilatio in errorem impellat, habes heic Tabulam annos trecentos continentem, ad cuius regulam ceteri omnes dirigendi erunt.

Anni



| Anni Dionyſiani a Kalend. Januarii. | Anni mundi ſecundū Alex. a Kal. Sept | Anni Incarnat. ſecundū Alex. a Kal. Sept | Anni mundi ſecund. Ant. a Kal. Sept | Anni Incarnat. ſecund. Ant. a Kal. Sept. | Anni mundi ſecundū C.P. a Kal. Sept | Anni Incarnat. ſecund. C.P. a Kal. Sept. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Ante Chriſt. III. | 5501. | 1. | 5491. | Ante Chriſt 2. | 5507. | Ante Chriſt 2. |
| Ante Chriſt. II. | 5502. | 2. | 5492. | Ante Chriſt 1. | 5508. | Ante Chriſt 1. |
| Ante Chriſt. I. | 5503. | 3. | 5493. | Chriſti. 1. | 5509. | Chriſti. 1. |
| Chriſti. I. | 5504. | 4. | 5494. | 2. | 5510. | 2. |
| II. | 5505. | 5. | 5495. | 3. | 5511. | 3. |
| III. | 5506. | 6. | 5496. | 4. | 5512. | 4. |
| IV. | 5507. | 7. | 5497. | 5. | 5513. | 5. |
| V. | 5508. | 8. | 5498. | 6. | 5514. | 6. |
| VI. | 5509. | 9. | 5499. | 7. | 5515. | 7. |
| VII. | 5510. | 10. | 5500. | 8. | 5516. | 8. |
| VIII. | 5511. | 11. | 5501. | 9. | 5517. | 9. |
| IX. | 5512. | 12. | 5502. | 10. | 5518. | 10. |
| X. | 5513. | 13. | 5503. | 11. | 5519. | 11. |
| XI. | 5514. | 14. | 5504. | 12. | 5520. | 12. |
| XII. | 5515. | 15. | 5505. | 13. | 5521. | 13. |
| XIII. | 5516. | 16. | 5506. | 14. | 5522. | 14. |
| XIV. | 5517. | 17. | 5507. | 15. | 5523. | 15. |
| XV. | 5518. | 18. | 5508. | 16. | 5524. | 16. |
| XVI. | 5519. | 19. | 5509. | 17. | 5525. | 17. |
| XVII. | 5520. | 20. | 5510. | 18. | 5526. | 18. |



XVIII.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| XVIII. | 5521. | 21. | 5511. | 19. | 5527. | 19. |
| XIX. | 5522. | 22. | 5512. | 20. | 5528. | 20. |
| XX. | 5523. | 23. | 5513. | 21. | 5529. | 21. |
| XXI. | 5524. | 24. | 5514. | 22. | 5530. | 22. |
| XXII. | 5525. | 25. | 5515. | 23. | 5531. | 23. |
| XXIII. | 5526. | 26. | 5516. | 24. | 5532. | 24. |
| XXIV. | 5527. | 27. | 5517. | 25. | 5533. | 25. |
| XXV. | 5528. | 28. | 5518. | 26. | 5534 | 26. |
| XXVI. | 5529. | 29. | 5519. | 27. | 5535. | 27. |
| XXVII. | 5530. | 30. | 5520. | 28. | 5536. | 28. |
| XXVIII. | 5531. | 31. | 5521. | 29. | 5537. | 29. |
| XXIX. | 5532. | 32. | 5522. | 30. | 5538. | 30. |
| XXX. | 5533. | 33. | 5523. | 31. | 5539. | 31. |
| XXXI. | 5534. | 34. | 5524. | 32. | 5540. | 32. |
| XXXII. | 5535. | 35. | 5525. | 33. | 5541. | 33. |
| XXXIII. | 5536. | 36. | 5526. | 34. | 5542. | 34. |
| XXXIV. | 5537. | 37. | 5527. | 35. | 5543. | 35. |
| XXXV. | 5538. | 38. | 5528. | 36. | 5544. | 36. |
| XXXVI. | 5539. | 39. | 5529. | 37. | 5545. | 37. |
| XXXVII. | 5540. | 40. | 5530. | 38. | 5546. | 38. |
| XXXVIII. | 5541. | 41. | 5531. | 39. | 5547. | 39. |
| XXXIX. | 5542. | 42. | 5532. | 40. | 5548. | 40. |
| XL. | 5543. | 43. | 5533. | 41. | 5549. | 41. |
| XLI. | 5544. | 44. | 5534. | 42. | 5550. | 42. |
| XLII. | 5545. | 45. | 5535. | 43. | 5551. | 43. |
| XLIII. | 5546. | 46. | 5536. | 44. | 5552. | 44. |
| XLIV. | 5547. | 47. | 5537. | 45. | 5553. | 45. |





| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| XLV. | 5548. | 48. | 5538. | 46. | 5554. | 46. |
| XLVI. | 5549. | 49. | 5539. | 47. | 5555. | 47. |
| XLVII. | 5550. | 50. | 5540. | 48. | 5556. | 48. |
| XLVIII. | 5551. | 51. | 5541. | 49. | 5557. | 49. |
| XLIX. | 5552. | 52. | 5542. | 50. | 5558. | 50. |
| L. | 5553. | 53. | 5543. | 51. | 5559. | 51. |
| LI. | 5554. | 54. | 5544. | 52. | 5560. | 52. |
| LII. | 5555. | 55. | 5545. | 53. | 5561. | 53. |
| LIII. | 5556. | 56. | 5546. | 54. | 5562. | 54. |
| LIV. | 5557. | 57. | 5547. | 55. | 5563. | 55. |
| LV. | 5558. | 58. | 5548. | 56. | 5564. | 56. |
| LVI. | 5559. | 59. | 5549. | 57. | 5565. | 57. |
| LVII. | 5560. | 60. | 5550. | 58. | 5566 | 58. |
| LVIII. | 5561. | 61. | 5551. | 59. | 5567. | 59. |
| LIX. | 5562. | 62. | 5552. | 60. | 5568. | 60. |
| LX. | 5563. | 63. | 5553. | 61. | 5569. | 61. |
| LXI. | 5564. | 64. | 2554. | 62. | 5570. | 62. |
| LXII. | 5565. | 65. | 5555. | 63. | 5571. | 63. |
| LXIII. | 5566. | 66. | 5556. | 64. | 5572. | 64. |
| LXIV. | 5567. | 67. | 5557. | 65. | 5573. | 65. |
| LXV. | 5568. | 68. | 5558. | 66. | 5574. | 66. |
| LXVI. | 5569. | 69. | 5559. | 67. | 5575. | 67. |
| LXVII. | 5570. | 70. | 5560. | 68. | 5576. | 68. |
| LXVIII. | 5571. | 71. | 5561. | 69. | 5577. | 69. |
| LXIX. | 5572. | 72. | 5562. | 70. | 5578. | 70. |
| LXX. | 5573. | 73. | 5563. | 71. | 5579. | 71. |
| LXXI. | 5574. | 74. | 5564. | 72. | 5580. | 72. |

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| LXXII. | 5575. | 75. | 5565. | 73. | 5581. | 73. |
| LXXIII. | 5576. | 76. | 5566. | 74. | 5582. | 74. |
| LXXIV. | 5577. | 77. | 5567. | 75. | 5583. | 75. |
| LXXV. | 5578. | 78. | 5568. | 76. | 5584. | 76. |
| LXXVI. | 5579. | 79. | 5569. | 77. | 5585. | 77. |
| LXXVII. | 5580. | 80. | 5570. | 78. | 5586. | 78. |
| LXXVIII. | 5581. | 81. | 5571. | 79. | 5587. | 79. |
| LXXIX. | 5582. | 82. | 5572. | 80. | 5588. | 80. |
| LXXX. | 5583. | 83. | 5573. | 81. | 5589. | 81. |
| LXXXI. | 5584. | 84. | 5574. | 82. | 5590. | 82. |
| LXXXII. | 5585. | 85. | 5575. | 83. | 5591. | 83. |
| LXXXIII. | 5586. | 86. | 5576. | 84. | 5592. | 84. |
| LXXXIV. | 5587. | 87. | 5577. | 85. | 5593. | 85. |
| LXXXV. | 5588. | 88. | 5578. | 86. | 5594. | 86. |
| LXXXVI. | 5589. | 89. | 5579. | 87. | 5595. | 87. |
| LXXXVII. | 5590. | 90. | 5580. | 88. | 5596. | 88. |
| LXXXVIII. | 5591. | 91. | 5581. | 89. | 5597. | 89. |
| LXXXIX. | 5592. | 92. | 5582. | 90. | 5598. | 90. |
| XC. | 5593. | 93. | 5583. | 91. | 5599. | 91. |
| XCI. | 5594. | 94. | 2584. | 92. | 5600. | 92. |
| XCII. | 5595. | 95. | 5585. | 93. | 5601. | 93. |
| XCIII. | 5596. | 96. | 5586. | 94. | 5602. | 94. |
| XCIV. | 5597. | 97. | 5587. | 95. | 5603. | 95. |
| XCV. | 5598. | 98. | 5588. | 96. | 5604. | 96. |
| XCVI. | 5599. | 99. | 5589. | 97. | 5605. | 97. |
| XCVII. | 5600. | 100. | 5590. | 98. | 5606. | 98. |
| XCVIII. | 5601. | 101. | 5591. | 99. | 5607. | 99. |





| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| XCIX. | 5602. | 102. | 5592. | 100. | 5608. | 100. |
| C. | 5603. | 103. | 5593. | 101. | 5609. | 101. |
| CI. | 5604. | 104. | 5594. | 102. | 5610. | 102. |
| CII. | 5605. | 105. | 5595. | 103. | 5611. | 103. |
| CIII. | 5606. | 106. | 5596. | 104. | 5612. | 104. |
| CIV. | 5607. | 107. | 5597. | 105. | 5613. | 105. |
| CV. | 5608. | 108. | 5598. | 106. | 5614. | 106. |
| CVI. | 5609. | 109. | 5599. | 107. | 5615. | 107. |
| CVII. | 5610. | 110. | 5600. | 108. | 5616. | 108. |
| CVIII. | 5611. | 111. | 5601. | 109. | 5617. | 109. |
| CIX. | 5612. | 112. | 5602. | 110. | 5618 | 110. |
| CX. | 5613. | 113. | 5603. | 111. | 5619. | 111. |
| CXI. | 5614. | 114. | 5604. | 112. | 5620. | 112. |
| CXII. | 5615. | 115. | 5605. | 113. | 5621. | 113. |
| CXIII. | 5616. | 116. | 5606. | 114. | 5622. | 114. |
| CXIV. | 5617. | 117. | 5607. | 115. | 5623. | 115. |
| CXV. | 5618. | 118. | 5608. | 116. | 5624. | 116. |
| CXVI. | 5619 | 119. | 5609 | 117. | 5625 | 117. |
| CXVII. | 5620. | 120. | 5610. | 118. | 5626. | 118. |
| CXVIII. | 5621. | 121. | 5611. | 119. | 5627. | 119. |
| CXIX. | 5622. | 122. | 5612. | 120. | 5628. | 120. |
| CXX. | 5623. | 123. | 5613. | 121. | 5629 | 121. |
| CXXI. | 5624. | 124. | 5614. | 122. | 5630. | 122. |
| CXXII. | 5625. | 125. | 5615. | 123. | 5631. | 123. |
| CXXIII. | 5626. | 126. | 5616. | 124. | 5632. | 124. |
| CXXIV. | 5627. | 127. | 5617. | 125. | 5633. | 125. |
| CXXV. | 5628. | 128. | 5618. | 126. | 5634. | 126. |

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| CXXVI. | 5629. | 129. | 5619. | 127. | 5635. | 127. |
| CXXVII. | 5630. | 130. | 5620. | 128. | 5636. | 128. |
| CXXVIII. | 5631. | 131. | 5621. | 129. | 5637. | 129. |
| CXXIX. | 5632. | 132. | 5622. | 130. | 5638. | 130. |
| CXXX. | 5633. | 133. | 5623. | 131. | 5639. | 131. |
| CXXXI. | 5634. | 134. | 5624. | 132. | 5640. | 132. |
| CXXXII. | 5635. | 135. | 5625. | 133. | 5641. | 133. |
| CXXXIII. | 5636. | 136. | 5626. | 134. | 5642. | 134. |
| CXXXIV. | 5637. | 137. | 5627. | 135. | 5643. | 135. |
| CXXXV. | 5638. | 138. | 5628. | 136. | 5644. | 136. |
| CXXXVI. | 5639. | 139. | 5629 | 137. | 5645. | 137. |
| CXXXVII. | 5640. | 140. | 5630. | 138 | 5646. | 138. |
| CXXXVIII | 5641. | 141. | 5631. | 139 | 5647. | 139. |
| CXXXIX. | 5642. | 142. | 5632. | 140. | 5648. | 140. |
| CXL. | 5643. | 143. | 5633. | 141. | 5649. | 141. |
| CXLI. | 5644. | 144. | 5634. | 142. | 5650. | 142. |
| CXLII. | 5645. | 145. | 5635. | 143. | 5651. | 143. |
| CXLIII. | 5646. | 146. | 5636. | 144. | 5652. | 144. |
| CXLIV. | 5647. | 147. | 5637. | 145. | 5653. | 145. |
| CXLV. | 5648. | 148. | 5638. | 146. | 5654. | 146. |
| CXLVI. | 5649. | 149. | 5639. | 147. | 5655. | 147. |
| CXLVII. | 5650. | 150. | 5640. | 148. | 5656. | 148. |
| CXLVIII. | 5651. | 151. | 5641. | 149. | 5657. | 149. |
| CXLIX. | 5652. | 152. | 5642. | 150. | 5658. | 150. |
| CL. | 5653. | 153. | 5643. | 151. | 5659. | 151. |
| CLI. | 5654. | 154. | 5944. | 152. | 5660. | 152. |
| CLII. | 5655. | 155. | 5645. | 153. | 5661. | 153. |

CLIII.



| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| CLIII. | 5656. | 156. | 5646. | 154. | 5662. | 154. |
| CLIV. | 5657. | 157. | 5647. | 155. | 5663. | 155. |
| CLV. | 5658. | 158. | 5648. | 156. | 5664. | 156. |
| CLVI. | 5659. | 159. | 5649. | 157. | 5665. | 157. |
| CLVII. | 5660. | 160. | 5650. | 158. | 5666. | 158. |
| CLVIII. | 5661. | 161. | 5651. | 159. | 5667. | 159. |
| CLIX. | 5662. | 162. | 5652. | 160. | 5668. | 160. |
| CLX. | 5663. | 163. | 5653. | 161. | 5669. | 161. |
| CLXI. | 5664. | 164. | 5654. | 162. | 5670. | 162. |
| CLXII. | 5665. | 165. | 5655. | 163. | 5671. | 163. |
| CLXIII. | 5666. | 166. | 5656. | 164. | 5672. | 164. |
| CLXIV. | 5667. | 167. | 5657. | 165. | 5673. | 165. |
| CLXV. | 5668. | 168. | 5658. | 166. | 5674. | 166. |
| CLXVI. | 5669. | 169. | 5659. | 167. | 5675. | 167. |
| CLXVII. | 5670. | 170. | 5660. | 168. | 5676. | 168. |
| CLXVIII. | 5671. | 171. | 5661. | 169. | 5677. | 169. |
| CLXIX. | 5672. | 172. | 5662. | 170. | 5678. | 170. |
| CLXX. | 5673. | 173. | 5663. | 171. | 5679. | 171. |
| CLXXI. | 5674. | 174. | 5664. | 272. | 5680. | 172. |
| CLXXII. | 5675. | 175. | 5665. | 173. | 5681. | 173. |
| CLXXIII. | 5676. | 176. | 5666. | 174. | 5682. | 174. |
| CLXXIV. | 5677. | 177. | 5667. | 175. | 5683. | 175. |
| CLXXV. | 5678. | 178. | 5668. | 176. | 5684. | 176. |
| CLXXVI. | 5679. | 179. | 5669 | 177. | 5685. | 177. |
| CLXXVII. | 5680 | 180. | 5670. | 178. | 5686. | 178. |
| CLXXVIII | 5681. | 181. | 5671. | 179. | 5687. | 179. |
| CLXXIX. | 5682. | 182. | 5672. | 180. | 5688. | 180. |

CLXXX.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| CLXXX. | 5683. | 183. | 5673. | 181. | 5689. | 181. |
| CLXXXI. | 5684. | 184. | 5674. | 182. | 5690. | 182. |
| CLXXXII. | 5685. | 185. | 5675. | 183. | 5691. | 183. |
| CLXXXIII. | 5686. | 186. | 5676. | 184. | 5692. | 184. |
| CLXXXIV. | 5687. | 187. | 5677. | 185. | 5693. | 185. |
| CLXXXV. | 5688. | 188. | 5678. | 186. | 5694. | 186. |
| CLXXXVI. | 5689. | 189. | 5679. | 187. | 5695. | 187. |
| CLXXXVII. | 5690. | 190. | 5680. | 188. | 5696. | 188. |
| CLXXXVIII. | 5691. | 191. | 5681. | 189. | 5697. | 189. |
| CLXXXIX. | 5692. | 192. | 5682. | 190. | 5698. | 190. |
| CXC. | 5693. | 193. | 5683. | 191. | 5699. | 191. |
| CXCI. | 5694. | 194. | 5684. | 192. | 5700. | 192. |
| CXCII. | 5695. | 195. | 5685. | 193. | 5701. | 193. |
| CXCIII. | 5696. | 196. | 5686. | 194. | 5702. | 194. |
| CXCIV. | 5697. | 197. | 5687. | 195. | 5703. | 195. |
| CXCV. | 5698. | 198. | 5688. | 196. | 5704. | 196. |
| CXCVI. | 5699. | 199. | 5689. | 197. | 5705. | 197. |
| CXCVII. | 5700. | 200. | 5690. | 198. | 5706. | 198. |
| CXCVIII. | 5701. | 201. | 5691. | 199. | 5707. | 199. |
| CXCIX. | 5702. | 202. | 5692. | 200. | 5708. | 200. |
| CC. | 5703. | 203. | 5693. | 201. | 5709. | 201. |
| CCI. | 5704. | 204. | 5694. | 202. | 5710. | 102. |
| CCII. | 5705. | 205. | 5695 | 203 | 5711. | 203. |
| CCIII. | 5706. | 206. | 5696. | 204. | 5712. | 204. |
| CCIV. | 5707. | 207. | 5697. | 205. | 5713. | 205. |
| CCV. | 5708. | 208. | 5698 | 206. | 5714. | 206. |
| CCVI. | 5709. | 209. | 5699 | 207. | 5715. | 207. |

CCVII.



| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| CCVII. | 5710. | 210. | 5700. | 208. | 5716. | 208. |
| CCVIII. | 5711. | 211. | 5701. | 209. | 5717. | 209. |
| CCIX. | 5712. | 212. | 5702. | 210. | 5718. | 210. |
| CCX. | 5713. | 213. | 5703. | 211. | 5719. | 211. |
| CCXI. | 5714. | 214. | 5704. | 212. | 5720. | 212. |
| CCXII. | 5715. | 215. | 5705. | 213. | 5721. | 213. |
| CCXIII. | 5716. | 216. | 5706. | 214. | 5722. | 214. |
| CCXIV. | 5717. | 217. | 5707. | 215. | 5723. | 215. |
| CCXV. | 5718. | 218. | 5708. | 216. | 5724. | 216. |
| CCXVI. | 5719. | 219. | 5709. | 217. | 5725. | 217. |
| CCXVII. | 5720. | 220. | 5710. | 218. | 5726. | 218. |
| CCXVIII. | 5721. | 221. | 5711. | 219. | 5727. | 219. |
| CCXIX. | 5722. | 222. | 5712. | 220. | 5728. | 220. |
| CCXX. | 5723. | 223. | 5713. | 221. | 5729. | 221. |
| CCXXI. | 5724. | 224. | 5714. | 222. | 5730. | 222. |
| CCXXII. | 5725. | 225. | 5715. | 223. | 5731. | 223. |
| CCXXIII. | 5726. | 226. | 5716. | 224. | 5732. | 224. |
| CCXXIV. | 5727. | 227. | 5717. | 225. | 5733. | 225. |
| CCXXV. | 5728. | 228. | 5718. | 226. | 5734. | 226. |
| CCXXVI. | 5729. | 229. | 5719. | 227. | 5735. | 227. |
| CCXXVII. | 5730. | 230. | 5720. | 228. | 5736. | 228. |
| CCXXVIII | 5731. | 231. | 5721. | 229. | 5737. | 229. |
| CCXXIX. | 5732 | 232. | 5722. | 230. | 5738. | 230. |
| CCXXX. | 5733 | 233. | 5723. | 231. | 5739. | 231. |
| CCXXXI. | 5734. | 234. | 2724. | 232. | 5740. | 232. |
| CCXXXII. | 5735. | 235. | 5725. | 233. | 5741. | 233. |
| CCXXXIII | 5736. | 236. | 5726. | 234. | 5742. | 234. |

M CCXXXIV.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| CCXXXIV | 5737. | 237. | 5727. | 235. | 5743. | 235. |
| CCXXXV. | 5738. | 238. | 5728. | 236. | 5744. | 236. |
| CCXXXVI | 5739. | 239. | 5729. | 237. | 5745. | 237. |
| CCXXXVII. | 5740. | 240. | 5730. | 238. | 5746. | 238. |
| CCXXXVIII | 5741. | 241. | 5731. | 239. | 5747. | 239. |
| CCXXXIX | 5742. | 242. | 5732. | 240. | 5748. | 240. |
| CCXL. | 5743. | 243. | 5733. | 241. | 5749. | 241. |
| CCXLI. | 5744. | 244. | 5734. | 242. | 5750. | 242. |
| CCXLII. | 5745. | 245. | 5735. | 243 | 5751. | 243. |
| CCXLIII. | 5746. | 246. | 5736. | 244. | 5752. | 244. |
| CCXLIV. | 5747. | 247. | 5737. | 245. | 5753. | 245. |
| CCXLV. | 5748. | 248. | 5738. | 246. | 5754. | 246. |
| CCXLVI. | 5749. | 249. | 5739. | 247. | 5755. | 247. |
| CCXLVII. | 5750. | 250. | 5740. | 248. | 5756. | 248. |
| CCXLVIII | 5751. | 251. | 5741. | 249. | 5757. | 249. |
| CCXLIX. | 5752. | 252. | 5742. | 250. | 5758 | 250. |
| CCL. | 5753. | 253. | 5743. | 251. | 5759. | 251. |
| CCLI. | 5754. | 254. | 5744. | 252. | 5760. | 252. |
| CCLII. | 5755. | 255. | 5745. | 253. | 5761. | 253. |
| CCLIII. | 5756. | 256. | 5746. | 254. | 5762. | 254. |
| CCLIV. | 5757. | 257. | 5747. | 255. | 5763. | 255. |
| CCLV. | 5758. | 258. | 5748. | 256. | 5764. | 256. |
| CCLVI. | 5759. | 359. | 5749. | 257. | 5765. | 257. |
| CCLVII. | 5760. | 260. | 5750. | 258. | 5766. | 258. |
| CCLVIII. | 5761. | 261. | 5751. | 259. | 5767. | 259. |
| CCLIX. | 5762. | 262. | 5752. | 260. | 5768. | 260. |





| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| CCLX. | 5763. | 263. | 5753. | 261. | 5769. | 261. |
| CCLXI. | 5764. | 264. | 5754. | 262. | 5770. | 262. |
| CCLXII. | 5765. | 265. | 5755. | 263. | 5771. | 263. |
| CCLXIII. | 5766. | 266. | 5756. | 264. | 5772. | 264. |
| CCLXIV. | 5767. | 267. | 5757. | 265. | 5773. | 265. |
| CCLXV. | 5768. | 268. | 5758. | 266. | 5774. | 266. |
| CCLXVI. | 5769. | 269. | 5759. | 267. | 5775. | 267. |
| CCLXVII. | 5770. | 270. | 5760. | 268. | 5776. | 268. |
| CCLXVIII. | 5771. | 271. | 5761. | 269. | 5777. | 269. |
| CCLXIX. | 5772. | 272. | 5262. | 270. | 5778. | 270. |
| CCLXX. | 5773. | 273. | 5763. | 271. | 5779. | 271. |
| CCLXXI. | 5774. | 274. | 5764. | 272. | 5780. | 272. |
| CCLXXII. | 5775. | 275. | 5765. | 273. | 5781. | 273. |
| CCLXXIII. | 5776. | 276. | 5766. | 274. | 5782. | 274. |
| CCLXXIV. | 5777. | 277. | 5767. | 275. | 5783. | 275. |
| CCLXXV. | Decennalis mutilatio Erae mundanae Alexandrinorum ad primum Diocletiani Imp. annum. | Decennalis mutilatio Erae Incarnationis Alexandrinorum ad primum Diocletiani Imp. annum. | 5768. | 276. | 5784. | 276. |
| CCLXXVI. | | | 5769. | 277. | 5785. | 277. |
| CCLXXVII. | | | 5770. | 278. | 5786. | 278. |
| CCLXXVIII. | | | 5771. | 279. | 5787. | 279. |
| CCLXXIX. | | | 5772. | 280. | 5788. | 280. |
| CCLXXX. | | | 5773. | 281. | 5789. | 281. |
| CCLXXXI. | | | 5774. | 282. | 5790. | 282. |
| CCLXXXII. | | | 5775. | 283. | 5791. | 283. |
| CCLXXXIII. | | | 5776. | 284. | 5792. | 284. |
| CCLXXXIV. | | | 5777. | 285. | 5793. | 285. |
| CCLXXXV. | 5778. | 278. | 5778. | 286. | 5794. | 286. |

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| CCLXXXVI. | 5779. | 279. | Vides Eras mundanas Alexandrinorum et Antiochenorum, poſt illam mutilationem in unam eandemque coaleſcere. | 287. | 5795. | 387. |
| CCLXXXVII. | 5780. | 280. | | 288. | 5796. | 288. |
| CCLXXXVIII | 5781. | 281. | | 289. | 5797. | 289. |
| CCLXXXIX. | 5782. | 282. | | 290. | 5798. | 290. |
| CCXC. | 5783. | 283. | | 291. | 5799. | 291. |
| CCXCI. | 5784. | 284. | | 292. | 5880. | 292. |
| CCXCII. | 5785. | 285. | | 293. | 5801. | 293. |
| CCXCIII. | 5786. | 286. | | 204. | 5802. | 294. |
| CCXCIV. | 5787. | 287. | | 295. | 5803. | 295. |
| CCXCV. | 5788. | 288. | | 296. | 5804. | 296. |
| CCXCVI. | 5789. | 289. | | 297. | 5805. | 297. |
| CCXCVII. | 5790. | 290. | | 298. | 5806. | 298. |
| CCXCVIII. | 5791. | 291. | | 299. | 5807. | 299. |
| CCXCIX. | 5792. | 292. | | 300. | 5808. | 300. |
| CCC. | 5793. | 293. | | 301. | 5809. | 101 |

**LVII.** *De Computo Paſchali Graecorum legendi Scaliger et Petavius.*

Heic non agam de Computo Paſchali Graecorum; nec de methodo inveſtigandae feriae; nec denique de regularibus ac annorum epactis, quos *Concurrentes* Romani Computatores vocant: praeterquam enim quod haec ab Scaligero in fine lib. 7. de Emendat. Temp. et a Petavio in fine lib. 8. Auctarii, diligenter pertractata, tanta non ſunt, ut eorum notitia carere non poſſimus. Imo Scaliger pag. 778 dicit: *Noli curare illos concurrentes, quorum ſcientiam reſerva, uſum reſpue.*

**LVIII** *Dionyſii veſtigia ſequi debebat Scaliger, nō vero novā Periodum concinnare.*

Redeo nunc ad Dionyſium, ut quod ab ipſo duabus in rebus peractum, in tertia efficiam. Magna mehercule ejus in Occidentales merita, quod Cyclos Ale-

xandri-



xandrinos, Eramque Chriſtianam apud illos invexerit; ſed nullus inficias ibit, quin ſi quis eius conſilium longius promovere, unamque ex Periodis mundanis Orientalium, quae ſingulis annis, tam ante, quam poſt Natale Chriſti, Cyclos Romanos exhibeat, omniumque epocharum ſedes et fulcrum exiſtat, Latinorum uſibus accommodare poſſit, rem praeſtiturus ſit haud leve momenti habituram. Quam enim eis neceſſaria aliqua huiusmodi Periodus, ex iis quae huius Diſſertationis initio dixi, evidenter apparet. Scaliger, ante quem temporum diſciplinam nullus ad methodum redegerat, hunc Chronologiae noſtrae defectum primus omnium vidit, eique Periodi Julianae concinnatione remedium adhibere voluit. Verum, ſicut *Dionyſius* non novos Cyclos, nec novam Incarnationis epocham propoſuit; ſed utrumque ab Orientalibus recte conſtitutum ad Latinos transtulit: Ita non nova Periodus componenda veniebat; ſed Dionyſii veſtigiis inſiſtendum erat, nec eo perfugio uti licebat, niſi nulla ex illis Periodis mundanis cum Cyclis Romanis, annoque Juliano congruere poſſet. Ad haec, Periodorum multiplicatio memoriae animoque oneroſa; et, ut vulgo dicitur, fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora; praeſertim ſi cum maiori commodo ac utilitate illud haberi poſſit. Quemadmodum itaque in *Diſſertatione Hypatica* ex Conſulatu Imperatorum initio Imperii geſto, quibus poſtea annis eundem magiſtratum de more rurſus inirent, detexi; ita ex iis, quae a Dionyſio laudabiliter acta, quid adhuc agendum reſtaret, clare intellexi: tandemque tribus Graecorum Periodis mundanis exacte accurateque diſcuſſis, quod animo intendebam, Deo votis meis obſecundante, perfeci, et Periodum Graeco-Romanam efformavi.

Perio-

LIX. *Inſtituitur Periodus Graeco-Romana.*

Periodus enim Antiochena, quae Incarnationem in annum Julianum XLV. cum quo Natale Dionyſianum illigatur, annumque mundi 5493. confert, ſi per XV. dividatur, reddit Indictionem Romanam, quae in curſu eſt. Quare ſi Juliana ac Romana effici poſſit, alia non indigemus. Illam autem facile Romanam efficies, ſi annum non a Septembri, ut Orientales, ſed a Kalendis Januariis cum Latinis auſpiceris: ac praeterea ſi e Cyclo Lunae quem reddit, unitatem ſemper abiicias; Cyclo vero Solis ex perpetua regula quatuor unitates addas. Annus enim Julianus XLV. quo Eccleſia Romana Dionyſium ſecuta Chriſtum natum ſupponit, Cyclo Solis IX. Lunae I. Indictione III. munitur. Annus mundi Antiochenus 5493. qui cum anno illo Juliano concurrit, cuique Antiocheni annum primum Incarnationis copulant, Indictionem quidem III. relinquit, ſi per quindecim partiatur; at ſi per XIX. dividatur, reddet Cyclum Lunae II. et ſi per XXVIII. Cyclum Solis V. Quamobrem, ſi, ut mox dixi, e Cyclo Lunae unitatem removeas, et Cyclo Solis quatuor unitates addas, annumque 5493. et quemcunque alium a Kalendis Januariis exordiaris, habebis *Periodum Graeco-Romanam*, quae munia illa omnia praeſtabit, quae de Periodo Juliana Scaligeri loquentes memoravimus, quaeque Graeca ſimul et Romana erit: Graeca, quando anni initium a Kalendis Septembris repetes, et Cyclos, quos exhibet, uſurpabis; Romana vero ac Iuliana, quotiescunque annum a Januario auſpicaberis, eiusque Cyclos ad Latinorum uſum accommodabis, retenta ſcilicet Indictione, quam reddit; ſed e Cyclo Lunae unitate abdicata; Cyclo vero Solis quatuor unitatibus adiectis. Quae, cum diverſis temporibus fieri debeant, nihilque facilius ſit, quam unitatem



tem reiicere, et aliquot numeros addere, ex hoc diverſo reſpectu, non ſolum nulla moleſtia naſcetur, nullaque temporis iactura interveniet; ſed etiam Chronologiae incredilis facilitas conciliabitur.

LX. *Periodus Graeco-Romana omnes Eras mundanas Orientalium exhibet.*

Sicut itaque in Periodo Juliana Scaligeri annus ſemper a Kalendis Januariis initium ſumit, ſic et in Periodo Graeco-Romana. Et ſicut in illa annus 4713. in quem Dionyſianum Chriſti Natale coniicitur; ſic et in iſta annus 5493. in quem idem Natale incidit, velut limes et cardo eſt univerſae Chronologiae: Ideoque quemadmodum ex Periodo Juliana ſemper demendus numerus, 4713. ad annum Chriſti Dionyſianum in illa reperiendum, ſic et ex Periodo Graeco-Romana numerus 5493. ad eundem finem aſſequendum ſemper repudiandus. Vis ſcire v. g. cum quo Chriſti anno, eiusdem Periodi annus 5830. quo Conſtantinus Magnus obiiſſe dicitur, concurrat; abiice 5493. et reliquus erit annus CCCXXXVII; quo ideo ea mors contigit. Et, quod in Periodo Juliana, quae mere artificioſa, non accidit, ſtatim tibi magna lux oboritur, eo nempe Chriſti anno Kalendis Septembribus inchoari annum Erae mundanae Alexandrinae ac Antiochenae (quae poſt Diocletianum una et eadem eſt) 5830. annumque mundi Conſtantinopolitanum 5846. additis nempe annis ſedecim ad illum annum 5830. Periodi Antiochenae. Quod ſi iam ſcias, Conſtantinum menſe Maio e vivis exceſſiſſe, intelliges mortem eius incidiſſe in annum Periodi Alexandrinae 5829. Conſtantinopolitanae vero 5845. utrumque ſcilicet in finem vergentem. Nunc exemplum affero rei, ante Diocletiani initium geſtae, quando ſcilicet Periodus Alexandrina, et Periodus Antiochena inter ſe diſcrepabant. Tiberius Auguſtus anno Chriſti XXXVII. menſe Martio fato functus

ctus eſt; ideoque anno Periodi Graeco Romanae 5530. Vis ſcire quo anno Periodi Antiochenae mors illa acciderit, cum Antiocheni eum mundi annum 5530. a Septembri incipiant, et Tiberius mortuus fuerit menſe Martio; mortalitatem explevit Tiberius anno mundi Antiocheno 5529. anno vero mundi Alexandrino 5539. annoque Conſtantinopolitano 5545. Sic ſi ſcire velis, quis annus mundanus Alexandrinus anno Periodi Graeco-Romanae 5530. inchoatus fuerit, adde decem, et habebis annum Alexandrinum 5540. Si Conſtantinopolitanum eodem anno Periodi Graeco-Romanae inchoatum quaeras, adde ſedecim, et habebis annum 5546. Quod ſi verearis, ne in illa annorum connexione erraveris, Indictio omnem tibi dubitationem eximet. Nam annus ille Periodi Graeco-Romanae 5530. reddit Indictionem decimam; annus vero Conſtantinopolitanus 5546. Indictionem undecimam: Ideoque res tibi ex ſententia ſucceſſit, cum annus mundanus Erae Conſtantinopolitanae Indictionem apud Orientales currentem reddat, quam nec annus mundi Antiochenus, nec annus Periodi Graeco Romanae exhibent, niſi unitatem adiicias. Denique annns mundi Alexandrinus 5540. offert Indictionem quintam. Quare, cum ex Era Alexandrina Indictiones decem abiiciendae ſint, ut Romanam exhibere poſſit, annus ille Alexandrinus recte coniungitur cum anno Conſtantinopolitano 5546. Antiocheno 5530. annoque Periodi Graeco Romanae 5530. cum ſi, ex illo quinque illas Indictiones quas reddit, et quinque alias circuli praecedentis repudies, reſtet Indictio decima, quae eo anno cum praefatis Eris mundanis et Periodo Graeco Romana congruit. Nihil certe hac Methodo ex Indictione deducta certius expeditiusque, tam ad Grae-



Graecorum annus inter ſe et cum noſtris Dionyſianis coniungendos, quam ad certam illorum annorum ineundam rationem, et auctorum Graecorum errores, in quos non raro labuntur, agnoſcendos.

Ex his facile intelligere potes, quantum Periodus Graeco-Romana Julianae Scaligeri praeſtet. Primo enim Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. pag. 360. de ſua Periodo loquens ait: *Inutilis erit haec Periodus, et Graecis, qui initium anni a Kal. Septemb. et Antiochenis, qui a Kal. Octob. inſtituunt.* Utrisque certe inutilis non propter anni initium; cum illud non obſtet, quin Era Diocletiana v. g. aliaeque locum in Periodo Juliana inveniant; ſed quia nec annus 5509. nec annus 5493. ad annum Periodi Julianae 4713. reduci poſſunt, cum continens maius eſſe debeat contento; nec additio vel detractio in numeris adeo diſſitis locum habere poſſit. Verum noſtra Periodus tres mundanas Orientalium non ſolum complectitur, ſed et ex templo exhibet; cum ipſamet nihil aliud ſit, quam Periodus Antiochena diverſo tantum reſpectu conſiderata, et, ſi decem unitates ante Diocletianum addas, fiat Alexandrina, poſt Diocletianum ab ea non differat, et denique Conſtantinopolitana reddatur, ſi annos ſedecim addas, ut evidentiſſime oſtendit Tabula annorum Graecorum inter ſe et cum Dionyſianis connexorum, quam mox in medium attuli. Sed non tantum Eras mundanas Orientalium Periodus noſtra repraeſentat: verum etiam eorum Cyclos tam Solares, quam Lunares, ſi tot Cyclos, quot annos adiicias, v. g. annus Periodi Graeco-Romanae 5493. ſi tanquam Antiochenus conſideretur, reddit Cyclum Lunae 13. Solis V. eique reſpondet annus Erae Conſtantinopolitanae 5509. uterque enim anno Juliano XLV. auſpicatur. Quare, ſi ſcire

LXI. *Periodus Graeco-Romana utilitate Iulianae praeſtat.*

ſcire velis, quibus Cyclis annus ille Conſtantinopolitanus muniatur, tibi conſtabit eum praeditum eſſe Cyclo Lunae XVIII. Solis XXI. poſtquam ſcilicet annos ſedecim adieceris. Sic eodem anno Juliano XLV. incipit annus Alexandrinus 5503. qui ideo reſpondet anno Antiocheno 5493. qui cum reddat Cyclum Lunae II. Solis V. poſt decem annorum additionem, exploratum tibi erit, annum illum Alexandrinum reddere Cyclum Solis XV. Lunae XII. Hic autem obiter notabis, vulgarem opinionem, quae cum Scaligero docet, annum Antiochenum a *Kalendis Octobris* inchoari, veram non eſſe, ſed eius initium fuiſſe Kalendas Septembris, ut mox demonſtrabo.

**LXII.** *Periodus Graeco-Romana omnes mundanas complectitur.*

Secundo, Periodus Scaligero-Juliana Periodos magno cum Lectorum taedio, temporisque iactura multiplicat; noſtra vero non ſolum imminuit, ſed etiam omnes ad unam reducit, ut iam dictum eſt de tribus mundanis Graecorum, et liquet de Periodo Juliana, quae in Graeco Romana incipit anno DCCLXXXI. Et, quod non parvi ducendum, Periodus Juliana ad hoc unum tantum impoſterum inſerviet, ut Auctores, qui ea uſi ſunt, intelligamus; quod etiam ſine illius cognitione praeſtari poterit, ſi annis Periodi Julianae ex perpetua methodo adiicias annos DCCLXXX, quibus Periodus Graeco-Romana eandem ſuperat. v. g. lego in aliquo Chronologo Natale Dionyſianum incidere in annum Periodi Julianae 4713. ſi addo annos DCCLXXX. habeo annum Periodi Graeco-Romanae, qui ei reſpondet, 5493. et ſic de caeteris omnibus. Proponit quidem Petavius lib. 7. de Doct. Tempor. cap. 9. Tabulas duas, *primam* Cyclorum in Periodo Juliana, cuius ope Cycli tam Solis, quam Lunae cuiuscunque anni Periodi Julianae detegi poſ-



poſſunt; *alteramque* trium Cyclorum, Solis nempe, Lunae et Indictionis; cuius beneficio e datis Cyclis annus eruitur. Sed praeterquam quod labor, qui in huiusmodi impenditur, caſſus et inanis, facile ſimiles Tabulae confici poſſunt ex Periodo mundana Antiochena, cuius Cyclos Solis et Lunae, ubi repereris, ſtatim ad Romanos revocare poteris. Poſita itaque hac noſtra methodo, vel ipſi tyrones tres Periodos mundanas Graecorum, Doctis etiam hactenus adeo moleſtas, nullo negotio intelligere et memoriae mandare valebunt; eo magis quo identidem in uſum vocandae erunt.

**LXIII.** *Periodus Graeco-Romana eſt hiſtorica ideoque Juliana utilior.*

Tertio, quilibet Periodi Julianae annus reddit quidem Cyclos Solis, Lunae et Indictionis; ſed cum ea mere artificialis ſit, prorſusque conficta, nihil ea nos edocet praeter Cyclos illos; eſtque tantum ſedes ac fulcrum annorum et ceterarum Erarum. Sed Periodus Graeco-Romana, cum aliud non ſit quam Era mundana Antiochenorum, non tantum eſt Periodus artificioſa et ad Cyclorum methodum inſtituta; ſed etiam Periodus hiſtorica; indeque fit, ut nunquam aliquid Periodo Graeco-Romanae conſignemus, quin annum aliquem mundanum Antiochenum in animum alte dimittamus, et quae eo currente geſta, ſeſe eidem illico obiiciant.

**LXIV.** *Periodus Graeco-Romana in minori numero Eram Chriſtianam exhibet.*

Quarto, quilibet Periodi Graeco-Romanae annus poſt Chriſtum natum, ſemper annum Erae Dionyſianae currentem in minori numero repraeſentat, dummodo annos ſeptem adiicias. Legis v. g. Conſtantinum Magnum obiiſſe anno Periodi Graeco-Romanae 5830. dubitare non debes, quin annus Dionyſianus, quo mors illa contigiſſe dicitur, in minori numero XXXVII. habeat. Quare ſi iam ſcias, quo Chriſti ſeculo Conſtantinus vixerit, Periodus Graeco-Romana in certam noti-

tiam anni eius emortualis te perducit. Quod commodum a Periodo Juliana minime expectandum; cum annus eiuſdem Periodi, quo ea mors collocatur, annus nempe 5050. in ultimis numeris ab anno Chriſti CCC XXXVII. nimis diſtet. Nullus, opinor, negaverit, quin plurimum interſit, ut difficultates Chronologicae, quantum fieri poteſt, molliantur.

LXV. *Methodus ad annos Chriſti ex annis mundanis Orientalium eruendos.*

Haec methodus, ut id obiter notem, etiam adhibenda, dum Scriptores Byzantinos legis, qui Era mundana aut Alexandrina, aut Conſtantinopolitana utuntur. Erae namque Alexandrinae poſt Diocletianum ſeptem annos addendo, pervenis ad annum Dionyſianum, quo mundanus ille annus menſe Septembri inchoatur. v. g. aliquis Auctor, qui Eram Alexandrinam uſurpat, ſcribit, Conſtantinum anno mundi 5829. vita functum eſſe; adde ſeptem numeros, et habebis 5836. Quare annus ille mundanus 5829. inchoatur menſe Septembri anni alicuius Dionyſiani, qui terminatur per XXXVI: Indeque, ſi ſcias, in quo Chriſti ſeculo verſeris, intelliges, Auctorem illum teſtari, Conſtantinum mortuum eſſe anno Chriſti CCCXXXVI. poſt Kalendas Septembris, aut anno CCCXXXVII. ante menſem Septembrem. Nam in omnibus annis, qui a Kalendis Januariis exordiuntur, error unius anni committi poteſt, quando cum Dionyſianis coniunguntur, ſi dies aut menſis, quibus res contigerit, ignorantur. Neque ad eum errorem vitandum aliqua regula tradi poteſt. Verum, cum dies emortualis Conſtantini ab Antiquis notatus fuerit, nempe viceſimus ſecundus menſis Maii, diſces, eum non eo anno Chriſti mortuum, quo annus ille mundanus coepit, ſed anno inſequenti, ſcilicet CCCXXXVII. Quod ſi Auctor, qui Era Conſtantinopolitana utitur, obitum Conſtanti-

ſtanti-

KÖNIGLICHE UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK BRESLAU.



ſtantini collocet anno mundi 5845. detrahendi numeri ſedecim, ut invenias annum Periodi Graeco Romanae, ſcilicet 5829. in quo is annus Conſtantinopolitanus inchoatur. Et ſi ex eo anno Conſtantinopolitano annos novem tollas, habebis in minori eius numero minorem numerum anni Dionyſiani, in quo ille incipit, annum, ſcilicet Chriſti CCCXXXVI: Ideoque, ſi ſcias, quo Chriſti ſeculo Conſtantinus obierit, annus ille Conſtantinopolitanus annum Chriſti dabit, quo ea mors accidit, uti mox de anno mundano Alexandrino loquens explicavi. Eadem methodus adhibenda, ſi vis ſcire quibus numeris deſinat annus Conſtantinopolitanus, qui in eo Chriſti annus exorditur, anno Chriſti novem numeros adde, et illum aſſequeris, ut ex praedicto exemplo patet.

LXIV. *Detractio et additio Cyclorum minime incommoda.*

Nec eſt quod quis dicat, moleſtum videri in Periodo Graeco-Romana, quod e Cyclis Lunae unitas abiicienda, Cyclo vero Solis quatuor numeri addendi ſint. Nam nunquid in Cyclis Solis, Lunae et Indictionis ex annis Chriſti eruendis addendi ſemper novem numeri Cyclo Solis, unus Cyclo Lunae, et tres Indictioni? Nunquid ex Era Hiſpanica demendi ſemper anni XXXVIII. ut annum Chriſti habere poſſis? Nunquid Alexandrini unitatem ſemper addunt Indictioni, ut eam, quae apud Orientales in curſu eſt, obtineant? Praeterea Graeci annum, et Indictionem a Septembri incipiunt; ſed Cyclos Lunae et Solis non niſi a Martio ſequenti: quo fit, ut per ſex priores menſes, a Septembri ſcilicet ad Martium, utrumque Cyclum Solis et Lunae unitate mutilent. Annus Antiochenus v. g. 5493. qui reddit Indictionem III. Cyclum Solis V, Lunae II, inchoatur quidem ab illis menſe Septembri anni Juliani XLV. ſicuti et Indictio, quam tamen, uti dixi, unitate augent; ſed Cycli Lunae I. et Solis



lis

lis IV. qui iam a Menſe Martio anni mundi praecedentis 5192. inchoati fuerant, continuantur usque ad Martium ſequentem, quo incipiuntur Cycli Lunae II. et Solis V. Si igitur Graecis grave non eſt, Cyclum unum e Cyclo Solis et Lunae per menſes ſex abiicere, et Indictioni unitatem addere, quid mirum ſi in Periodo Graeco-Romana idem factitandum ſit; cum methodum Cyclicam et Periodicam a Graecis didicerimus, praeſertim cum ſimiles detractiones, ſimilesve additiones extemplo et ſine labore ullo fiant? Certe mihi quotidie mirabilior haec Periodus videtur. Eſt enim Panhellica et Romana, nova et antiqua, una et multiplex, artificialis et hiſtorica; ſine cuius praeſidio non ſolum difficiles, ſed et erroribus quandoque obnoxii tres Graecorum Computi; contra vero eius ope non ſolum tutiſſima ac facillima initur via, ſed etiam univerſae temporum doctrinae lumen et incrementum affertur.

LXVII. *Manualis methodus ad Cyclos ex quibuslibet Eris eruendos.*

Quia vero in Eris mundanis Graecorum aliisque, identidem Cycli Solis, Lunae et Indictionis conſulendi, offero heic methodum manualem, cuius opera ex illis quavis data occaſione erui poterunt. Cum ad inveniendam Indictionem abdicandi ſint Circuli omnes XV. annorum, obſervabis ex quolibet numero centenario nonniſi decem Indictiones reſiduas eſſe, ideoque et totidem ex quolibet millenario: ex Cyclis Lunae in quolibet centenario reſtare tantum quinque, ideoque ex quolibet millenario tantum duodecim: et demum ex Cyclo Solis in quolibet centenario ſupereſſe XVI. et in quolibet millenario viginti. Quare ad tres illos Cyclos in omnibus Eris inveniendos Arithmetica opus non erit.

LXVIII. *Era LXX Interpretum.*

Nunc Erae praecipuae ad Periodum Graeco-Romanam reducendae, et ubi opus fuerit, magis explicandae.

Cele-



Celebris eſt Era mundana *Septuaginta Interpretum*, ut vocant, quae a tempore Divi Hieronymi in Occidente, quandoque uſurpata fuit. Cum in ea Era mundana annus primus Chriſti inchoetur anno 5199. annoque Iuliano XLIII. manifeſtum eſt, primum huius Erae annum anno Periodi Graeco-Romanae CCXCII. collocandum eſſe, quod et Indictio oſtendit: cum enim annus LXX. Interpretum 5199. qui anno Periodi Graeco-Romanae 5491. inchoatur, reddat Indictionem IX. et annus 5491. Indictionem I. apparet, Indictioni anni LXX. Interpretum, addendas eſſe ſex unitates, uti conveniat cum anno Periodi Graeco-Romanae, in quo exorditur; Ideoque et Eram illam incipiendam anno eiusdem Periodi CCXCII. quae exhibet Indictionem VII. quando annus primus illius Erae nonniſi Indictionem I. reddere poteſt. Incarnationem autem Chriſti concurrere cum anno Erae LXX. Interpretum 5199. docet Martyrologium Romanum ad diem XXV. Decembris. Cum porro annus hic initium ſumat anno Periodi Graeco-Romanae 5491. annus 5200. cum anno 5492. annus 5201. cum anno 5493. annusque 5202. cum anno 5494. quo Eram Chriſtianam auſpicamur, concurrat, liquet, ex annis Erae LXX. Interpretum ſemper abiiciendam unitatem, ut ea in minori numero minorem anni Dionyſiani numerum repraeſentare poſſit: Sic *Bucherius* Victorii Paſchalem Cyclum explicans annum mundi ſecundum LXX. Interpretes 5229. coniungit cum anno Dionyſiano XXVIII. annumque Chriſti CCCLXXXIX. cum anno mundi 5590. *Uſſerius* in Annalibus ſuis Hiberniae pag. 970. quod in libris de Mirabilibus Sacrae Scripturae dicatur, *Manchenum* celebrem Abbatem anno mundi 5852. obdormiiſſe in Domino deducit, eam mortem contigiſſe anno Dionyſiano DCLII. et an-

et annum 5200. Septuaginta Interpretum concurrere cum Natali Dionyſiano: qua in re eum falli exiſtimo, niſi Latini, qui ea Era mundana uſi ſunt, annum a Kalendis Septembribus inchoarint; quod hactenus detegere non potui. Si tamen in ea Era annus ab autumno inceperit, et *Mancbenus* poſt Kalendas Septembris anni Chriſti DCLII. obierit, non penitus erravit *Uſſerius*. Nihilo minus donec maior lux affulgeat, Bucherium ſequi malo.

LXIX. *Epocha ab ortu Abrahae.*

Epocha *ab ortu Abrahae*, quam Euſebius, Hieronymus, et Idacius in Chronicis adhibent, auſpicatur anno Periodi Graeco-Romanae 3477. Cyclo Solis IX. DC. Lunae XVIII. Indictione XII. et quidem prima die Septembris, a qua Antiochenorum tempora proficiſcuntur. Euſebius enim eius Inventor Caeſareae in Paleſtina Epiſcopus erat, et Abrahamum eo Periodi noſtrae anno natum credidit. Is in ſuo Chronico de Chriſti Nativitate locuturus, ait: *Colliguntur omnes anni ab Abraham usque ad Nativitatem Chriſti, anni 2015.* Si itaque annus huius Erae 2015. inchoatur anno Periodi Graeco-Romanae 5491. annoque Juliano XLIII. (quo certum eſt Euſebium primum Incarnationis annum incepiſſe) huius Erae Abrahamiticae initium cum anno eiusdem Periodi 3477. omnino coniungendum; cumque is annus Cyclo Lunae XVIII. et primus annus Abrahamiticus, Cyclo Lunae I. notetur, ſi ex illo duos Lunae Cyclos abiicias, habebis Cyclos Romanos annumque Periodi Graeco-Romanae, cum quo quilibet Erae Abrahamiticae annus copulari debet. Euſebium autem Incarnationis principium ab anno Juliano XLIII. repetere, liquet etiam ex eius Hiſtoria lib. 7. c. ult. ubi antequam de perſecutione Diocletianea menſe Martio anni Dionyſiani CCCIII. ex eius ſententia coepta, ſermonem habeat, haec ſcribit: *Verum, Epi-*



*Epiſcoporum Succeſſionis Hiſtoriam, quae a noſtri Servatoris ortu usque ad Eccleſiarum ſubverſionem quinque ac trecentos annos complectitur, hic terminantes: deinceps quae et quanta fuerint certamina eorum, qui aetate noſtra pro Religione fortiter depugnarunt, ad poſterorum memoriam literis mandare aggrediamur.* Quibus ex verbis conſtat, eum annos Incarnationis biennio ante Eram Dionyſianam inchoare: annum Incarnationis ſecundum Alexandrinos CCCVI. incipiendum fuiſſe menſe Septembri eiusdem anni Dionyſiani CCCIII. omnes Alexandrinos Era Incarnationis ad primum Diocletiani annum mutilata uſos non fuiſſe; alioquin Euſebius annos tantum Incarnationis CCXCV. numerare debuiſſet: ac denique accurate Pontacum in editione Chronici Euſebiani annum primum Incarnationis cum anno Abrahamitico 2015. connexuiſſe; ideoque & Scaligerum in eiusdem Operis editione Incarnationis initium male in ſequentem annum Abrahamiticum diſtuliſſe. Euſebius itaque, qui Auctor extitit Erae mundanae ſecundum LXX. Interpretes, antiquam Incarnationis Eram, a quibusdam poſtea aliis Scriptoribus uſurpatam, retinuit.

LXX. *Methodus ad annos Abrahamiticos cum Dionyſianis copulandos.*

Facillima methodo ad annos Erae Chriſtianae ex Erae Abrahamiticae annis eruendos utor; qua Lectorem non fraudabo. In Era Dionyſiana primus Chriſti annus inchoatur Kalendis Ianuariis anni Juliani XLVI. eodemque Chriſti anno menſe Septembri annus Abrahami 2018. Incarnationis vero ſecundum Alexandrinos annus quartus initium ſumunt. Quare, ſi ex Era Abrahami tollas numeros millenarios ac præterea numeros XVII, qui reliquus erit numerus, exhibebit annum Erae Dionyſianae, quo an-



nus;

nus Abrahami, de quo agitur, auſpicatur. Sic in Chronico Euſebii juxta editionem Pontacenam interitus Galli & Voluſiani Imperatorum refertur ad annum Abrahami 2270. Si tollas duo millenaria, ac praeterea annos XVII. reſtabunt CCLIII, quo ideo is annus Abrahamiticus 2270. menſe Septembri cœpit. Unde juxta Euſebium uterque Imperator anno Dionyſiano CCLIII. quem reſiduus ille numerus repraeſentat, occiſus eſt, aut ſaltem inſequenti Chriſti anno CCLIV. quo adhuc annus ille Abrahamiticus usque ad Kalendas Septembris in curſu erat. Qua quidem in re, uti alibi millies, Euſebius peccat; cum caedes illa aliquot menſibus ante Septembrem anni Dionyſiani CCLIII. perpetrata fuerit. Quia vero anni Abrahami duobus Cyclis Lunaribus Cyclos Dionyſianos ſuperant, ſi eosdem ex illis Abrahami annis demas, te in ea connexione non erraſſe comperies. Annus enim Abrahami 2270. reddit Cyclum Lunae IX. annusque Dionyſianus CCLIII. Cyclum Lunae VII. Haec methodus certa et facilis ad Euſebianorum, Hieronymianorum, et Idacianorum annorum ineundam rationem, et non tantum ad agnoſcendos errores Euſebii, Hieronymi, & Idacii; ſed et eorum omnium, qui eosdem perperam citant.

LXXI. *Epocha a Troia capta.* Epocha *a Troia capta*, quae cardo eſt veteris Hiſtoriae a Poetis praeſertim decantatae, diverſimode ab Auctoribus inchoatur. In Marmoribus Arundelianis Troiae excidium eo anno collocatur, qui eſt Periodi Graeco-Romanae 4285. ita ut a capta Troia ad primam Olympiadem, non anni CCCCVIII, ut Euſebius et Erathoſtenes numerarunt, ſed CCCCXXXIII fluxerint. Quam opinionem ſe certis argumentis com-



comprobaturum pollicetur Paulus *Bezron*, Vir in Chronologia exercitatiſſimus, cap. 9. Operis Gallici, cui titulus, *Antiquitas temporum reſtituta & defenſa.* Communior tamen opinio, cui adhaereo, Troiae expugnationem confert in eum annum, qui eſt Periodi Graeco-Romanae 4310. Diodorus enim Siculus annum primum Olympiadis XCIV. putat ab excidio Troiae ſeptingenteſimum octogeſimum. Primus Olympiadis illius annus convenit in annum Periodi Graeco Romanae 5090. de quo deductis DCCLXXX. reliqui fiunt anni 4310. Ad haec, Euſebius lib. 10. de Praeparatione ait, Graecos a capta Troia ad primam Olympiadem numerare annos CCCCVIII. quot ab eodem anno Periodi Graeco-Romanae 4310. lapſi ſunt ad annum 4718. quo prima Olympias vulgaris celebrata eſt. Denique hanc ſententiam docuit Erathoſtenes in Commentario, quem *Canones* inſcripſit, eamque explicavit Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I. Orig. ut videre eſt apud Petavium in ſecunda parte Rationarii temporum lib. 2. cap. 10. ubi ex Dionyſio obſervat, cladem illam accidiſſe die XXIII. *Thargelionis*, (menſis Lunaris ab Atticis uſurpati) qui incidit in diem Junii noſtri duodecimum, feriamque quintam. Troia itaque expugnata anno 1184. ante Eram Chriſtianam.

LXXII. *Egregius Evagrii locus, ſed in quibusdam numeris corruptus.* Mentio eſt huius Epochae apud Evagrium lib. 3. cap 29. ubi ſermo de initio Imperii Anaſtaſii, qui die XI. menſis Aprilis anni Dionyſiani CCCCXCI. coronatus eſt. Locus ille egregius, licet in quibusdam numeris depravatus. ἱστορεῖ δ' οὖν ὁ Εὐστάθιος, μετὰ τὴν ἀρ- ἀρχὴν τοῦ Διοκλητιανοῦ βασιλείας ἐς τὴν Ζήνωνος τελευτὴν καὶ τὴν ἀνάῤῥησιν Ἀναστασίου, ἔτει διελθεῖν ἑπτὰ καὶ διακόσια. ἀπὸ δὲ τοῦ

Αὐγούστου μοναρχίας, ἔτη δύο καὶ λʹ. καὶ πεντακόσια πρὸς μησὶν ἑπτά. ἀπὸ δὲ τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ἀρχῆς, ἔτη δύο καὶ τριάκοντα καὶ ὀκτακόσια ὁμοίως πρὸς μησὶν ἑπτὰ. ἐκ δὲ τῆς τῶν Ῥωμαίων καὶ Ῥωμύλου βασιλείας, ἔτη δύο καὶ πεντήκοντα καὶ χίλια καὶ πρός γε μῆνας ἑπτά. ἀπὸ δὲ ἁλώσεως Τροίας, ἔτη ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ ἑξακόσια καὶ χίλια πρὸς μησὶν ἑπτά. Id eſt: *Porro Euſtathius ſcribit, ab exordio Imperii Diocletiani ad Zenonis obitum & nuncupationem Anaſtaſii, annos fluxiſſe ſeptem ſupra ducentos: a principatu autem Auguſti, annos quingentos triginta duos, ac praeterea menſes ſeptem: ab Alexandri autem Macedonis regno octingentos & triginta duos ſimiliter cum menſibus ſeptem: a Romanorum & Romuli regno, mille & quinquaginta duos, ac praeterea menſes ſeptem: a Troiae denique expugnatione annos mille ſexcentos octoginta ſex cum menſibus ſeptem.* Evagrius lib. 5. cap. 24. dicit, Priſcum Rhetorem ſcripſiſſe geſta poſt Imperium Arcadii et Honorii, additque: *Quae omnia Euſtathio Epiphanienſi ſcitè admodum in compendium redacta ſunt in duobus voluminibus: quorum prius usque ad expugnationem Ilii, alterum usque ad annum duodecimum Imperii Anaſtaſii, res geſtas complectitur.* Scribebat itaque is Auctor anno Chriſti DII. quem exiſtimandum de anno Troiae captae rectè edoctum fuiſſe. Sed vereor ne numeri corrupti ſint, dum huius excidii annos putat. Si tamen in eos error non irrepſit, clades Troiana contigit anno Periodi Graeco-Romanae 4297. ex Euſtathii ſententia, annos ſc. tredecim ante communem opinionem. Valeſius in Notis ad Evagrium, hunc locum intactum reliquit, licet aliqua non vulgaria ex illo deduci poſſint. Liquet enim primo, Euſtathium omnes annos a menſe Septembri cum anno populari inchoaſſe: a Septembri enim anni



anni Chriſti CCCCXC. ad XI. Aprilis anni Chriſti inſequentis, quo Anaſtaſius inauguratus eſt, menſes ſeptem numerantur, quos *quater* Euſtathius expreſſit. Liquet ſecundo, hallucinatum eſſe Scaligerum, quando arbitratus eſt, epocham Diocletianeam coeptam quidem anno Chriſti CCLXXXIV. die XXIX. menſis Auguſti, ſed Diocletianum anno tantum Chriſti CCLXXXVII. Regnum ſuſcepiſſe; cum in laudato loco Euſtathius hujus Imperatoris initium ab anno CCLXXXIV. repetat. Tertio, hunc Hiſtoricum, cujus Opus periit, exordiri regnum Auguſti ab anno tertio Juliano, qui eſt Periodi Graeco-Romanae 5451. ab ejus nempe Conſulatu ſuffecto Q. Pedio Collega geſto, dieque XIX. Menſis Auguſti inito. Quarto, numeros, quibus utitur in Macedonico Alexandri regno deſignando, corruptos eſſe, alioquin anno Periodi Graeco-Romanae 6150. Philippo patri ſucceſſiſſet; cum tamen is nonniſi anno eiusdem Periodi 5158. obierit. Quinto, annos Urbis conditae etiam depravatos eſſe, legendumque, 1242. loco, 1052. ita ut locus ita ſit reſtituendus: ἔτη δύο καὶ τεσσαράκοντα καὶ διακόσια καὶ χίλια.

Celebrior certiorque Era Olympiadum, de qua Syncellus pag. 196. ſuo Chronographiae: *Non omnium apud omnes Olympiadum eſſe rationem, nec Eccleſiaſticis Hiſtoriis concordem in iis ſententiam eſſe, eorum evolventibus ſcripta haud difficulter conſtabit. Nobis vero illud ſolummodo conſilium fuit, ut Olympiadum inſciis brevem & dilucidam eorum proferremus expoſitionem; non quod Olympiadum ſermo a ſcripturis divinis tractetur; ſed quod nonnulla ſit earum apud ſanctos Patres mentio, & a Macedonibus, Romanis Perſis, Aegyptiis & ipſis quoque Judaeis memorentur, e quorum grege Philo et Joſephus non obſcu-* LXXIII. *Olympias vulgaris.*

*rum iisdem teſtimonium ferunt.* Recte Syncellus ſcribit, non omnium apud omnes Olympiadum eſſe rationem. Nam tria earum initia obſervavi. Prima Olympias vulgaris, qua *Iphithea* communiter dicitur, coepit anno Periodi Graeco-Romanae 4718. Cyclo Solis XVIII. F. Lunae V. Indict. VIII. qua de re cum inter omnes conveniat, heic fuſe agendum non videtur. Obſervandum tantum, legitimum tempus Ludorum Olympicorum fuiſſe aeſtivum, ſub ipſum Solſtitium; quamvis aliquando, licet rarius, praeter ordinem moremque celebrati fuerint: ac praeterea in Olympiadibus temporis illud intervallum deſinere, quod a Varrone in libello Cenſorini de die Natali *Mithycum* appellatur, incipique quod dicitur Hiſtoricum; quia res in eo geſtae veris Hiſtoriis continentur.

LXXIV. *Olympias Euſebiana.* Olympias *Euſebiana*, qua ſcilicet non ſolum Euſebius in Chronico, ſed etiam Divus Hieronymus in ejus Continuatione utuntur, inchoatur anno Periodi Graeco Romanae 4717. Cyclo Solis XVII. A. G. Lunae IV. Indict. VII. et quidem a Kalendis Septembris cum anno populari, cum quo annum Incarnationis aliarumque epocharum Euſebius auſpicatur. Petavius in ſecunda parte Rationarii temporum l. I c. 10. oſtendit ex Chronico Euſebiano, ab autumno antecedente Olympiades vulgares Euſebium Olympiades exordidiri; quod de Divo Hieronymo in fine ſui Chronici, quod perduxit usque ad mortem Valentis Imp. ad annum ſcilicet Chriſti CCCLXXVIII. etiam dicendū. Scribit enim, usque ad eum'annum fluxiſſe annos Olympiadicos 1155. cum tamen ſint tantum Olympiadici communes 1154. a paucis menſibus inchoati, ut numeranti patebit. Quare non erat, cur Petavius ſuam



am de Olympiadibus Euſebianis ſententiam haeſitanter proponeret; cum ea certa et indubitata ſit.

Ad hoc Olympiadum genus revocandum videtur illud, quo utitur Socrates lib. I. cap. 2. ubi annum Olympiadicum eodem quidem anno Juliano incipit, quo Olympiadum vulgarium Sectatores; ſed cum hoc tamen, diſcrimine, quod hi a Solſtitio eas exordiuntur, Socrates vero et quidam Scriptores Orientales a Septembri vel Octobri cum anno civili et populari. LXXV. *Aliqui annos Olympiadicos cum anno populari inchoarunt.* Socrates loco citato de morte Conſtantii Chlori Conſtantini Magni patris; ſcribit: *Primo ducenteſimae ac ſeptuageſimae primae Olympiadis anno ante diem octavum Kalend. Auguſti e viris exceſſerat* die ſcilicet XXV. menſis Julii anni Chriſti CCCVI; licet idem Socrates inſinuare videatur, eam mortem anno praecedenti, quo annus primus Olympiadis CCLXXI. menſe Julio coeptus, accidiſſe. Locus ille doctorum Virorum ingenia valde exercuit. Petavius lib. II. de Doct. Temp. c. 35. anſam inde ſumſit ſuſpicandi, Conſtantium Chlorum anno Chriſti CCCV. mortuũ eſſe; quod tamen affirmare prorſus, & adverſus communem Chronicorum omnium et Annalium fidem pugnare non audet. Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. pag. 469. loco illo innixus, luſtra neſcioquae Juliana commentus eſt, quorum in CCLXXI. obiiſſe dicit Conſtantium. Quae luſtra commentitia eſſe Petavius demonſtravit. Alii credidere, errorem in numeros irrepſiſſe: quae tamen conjectura vana; cum Socrates idem repetat in fine libri ſeptimi, ubi Hiſtoriam ſuam concludens, ait, eam ordiri ab anno primo Olympiadis CCLXXI, quo Conſtantinus Magnus Imperator renuntiatus eſt; et idem locus legatur tam in Nicephoro, quam

quam in Hiſtoria Tripartita. Calviſius in Iſagoge parte 4. cap. 41. eundem examinavit, concluſitque, Socratem ſibi hac in re non conſtare. Facilis tamen ſolutio eſt. Socrates die XXV. Julii anni Chriſti CCCVI. Conſtantii Chlori emortuali nondum annum ſecundum Olympiadis CCLXXI. inchoarat, eum menſe Septembri cum anno civili auſpicaturus, cum quo aliarum Erarum annos Euſtathium exorſum eſſe numero LXXI. obſervavimus.

LXXVI. *Olympiades in Socrate plerumque depravatae.* Fatendum tamen, Librariorum errore Olympiades plerumque apud Socratem male deſcriptas eſſe. Imo in fine libri ſeptimi et ultimi ſui Operis haec habet: *Continet ſeptimus hic Hiſtoriae liber res geſtas ſpatio annorum duorum ac triginta. Tota vero Hiſtoria ſeptem libris comprehenſa continet ſpatium annorum centum et quadraginta. Exorſa quidem ab anno primo Olympiadis ducenteſimae ſeptuageſimae primae, qua Conſtantinus Imperator eſt renunciatus: deſinens autem anno ſecundo trecenteſimae quintae Olympiadis, quo Imperator Theodoſius ſeptimum decimum conſulatum dedit.* Ad quae verba nihil Valeſius notavit. Et tamen numerus ille annorum centum & quadraginta corruptus; cum Socrates Hiſtoriam ſuam ordiatur anno Chriſti CCCVI. quo Conſtantius mortuus, et Conſtantinus eius filius Auguſtus appellatus, annoque Chriſti CCCCXXXIX. Conſulatu Theodoſii iunioris XVII. notato eandem abſolvat. Intervallum itaque eſt annorum CXXXIV. Praeterea loco, *trecenteſimae quintae Olympiadis*, legendum, *trecenteſimae quartae Olympiadis*, quae anno Chriſti CDXXXVII. celebrata eſt.

Terti-



LXXVII. *Olympias Syncelliana.* Tertius Olympiadum numerandarum modus eſt ille, quem Julius Africanus, Georgius Syncellus, aliique quidam Antiqui uſurpant. Affigunt hi primam Olympiadem anno Periodi Graeco-Romanae 4716. Cyclo Solis XVI. B. Lunae III. Indict. VI; Ideoque biennio Olympiades vulgares anticipant. Julius Africanus in *Fragmento* apud Syncellum pag. 308. ait: *Poſt Alexandriam captam coepit Olympias.* CLXXXVIII. Capta Alexandria a Caeſare Auguſto anno Juliano XVI. qui eſt Periodi Graeco-Romanae 5464. Et tamen vulgaris Olympias CLXXXVIII. acta IV. menſis Auguſti anni Juliani XVIII. Praeterea Africanus exiſtimans, Chriſtum mortuum eſſe duobus Geminis Coſſ. anno nempe Erae Chriſtianae XXIX. tradit, Phlegontis eclipſim accidiſſe Olympiade CCII. anno II; cum tamen menſe Martio illius anni Dionyſiani curreret anno quartus Olympiadis vulgaris CCI. Neq; ſibi contradicit Africanus, quando in alio Fragmento a Syncello p. 323. recitato, modo dicit, eclipſim illam accidiſſe anno II. Olympiadis CCII. modo anno IV. Olympiadis CCI. Sed ad maiorem explicationem utrumq; computandi modum adhibet. Sicut nec ſibi ibidem contrarius eſt, quando addit, modo Chriſtum paſſum eſſe anno XV. Tiberii, modo anno XVI. eiusdem Imperatoris; quod aliqui Orientales, ut diximus, omnes annos cum civili incipiant, ideoque et XVI. Tiberii vel autumno anni Chriſti XXVIII. vel verno tempore anni Chriſti inſequentis. Denique num. XXXI. egregium Africani locum retulimus, in quo is in putandis annis Olympiadicis vulgares Olympiades adhibet.

LXXVIII. *Syncellus in Olympiadib9 putandis ſemper ſibi conſtat.* Verum, Georgius Syncellus nunquam alia numerandi ratione quam iſta utitur; ideoque hae Olym-



pia-

piades *Syncellianae* appellandae, ne cum aliis confundantur. Is primam Olympiadem collocat anno mundi ſecundum Alexandrinos 4726. ex quo decem numeris abiectis, pervenimus ad annum Antiochenum 4716. Non opus eſt id exemplis demonſtrare; cum; ut dixi, nunquam alio modo Olympiades Syncellus uſurpet. Scriptor Anonymus, qui Chronicon edidit ab Orbe condito ad annum XIII. Alexandri Imperatoris, et extat tomo 2. Antiqv. lect. Caniſii ſcribit, anno XIII. Alexandri exactas eſſe Olympiadas CCLIII. id eſt annos MXII. *Sunt*, inquit, *omnium Olympiades usque ad annum XIII. Alexandri Caeſaris Olympiades CCLIII. quae ſunt anni mille duodecim.* M. Antonius Capellus pag. 129. ſui Opusculi *de Paſſione Dominica*, hunc locum adhibet, ut oſtendat, annum primum Olympiadis CXCIV. coniungendum eſſe cum anno Juliano XL. non vero, ut vulgo fit, cum anno Iuliano XLII. Nam occiſus eſt Alexander, *Severo et Quinctiano Coſſ.* anno nempe Chriſti CCXXXV. anno Imperii XIII. abſoluto. Quare ſi annum primum Olympiadis CCLIV. ſtatuas in Conſulatu Severi et Qvinctiani, primus annus Erae vulgaris incurret in annum ſecundum Olympiadis CXCV. Haec Capellus. Ad quam obiectionem Petavius non habet quid reſpondeat. Verum Olympias quidem vulgaris CCLIII. abſoluta eſt anno Chriſti CCXXXVII. et Olympias CCLIV. inchoata; ſed Anonymus iſte non alio modo Olympiades putat quam Africanus et Syncellus; ideoque Olympiadem CCLIII. abſolvit anno Chriſti CCXXXV. ſicque accurate ſcribit, anno XIII. Alexandri Imp. evolutas eſſe Olympiades CCLIII. annósque Olympiadicos MXII. Hoc itaque Olympiadum ge-





nus a Chrnologis praetermiſſum, diligenter impoſterum notandum.

LXXXIX. *Epocha Varroniana Urbis conditae.*

Epocha *a Roma condita* in tribus diverſis Periodi Graeco-Romanae annis pariter collocanda. Anni Varroniani, qui magis frequentes, et quibus Romani uſi ſunt in publicis monumentis, proficiſcuntur ab anno Periodi Graeco-Romanae 4741. Cyclo Solis XIII. FE. Lunae IX. Indict. I. anno tertio Olympiadis ſextae, eoque deſinente. Roma enim undecimo Kalendas Maii juxta communem opinionem condita. Petavius lib. 6. de Doct. Temp. cap. 50. de capite annorum ab U. C. locuturus ait. *Romae conditum in Palilio conferunt Scriptores, qui dies XI. Kal. Maias, id eſt, Aprilis XXI. in Iuliano Kalendario conſtitutus eſt. Olim vero, et ſub ipſum Natalem Urbis, cui Iuliano menſi ac diei competeret, inveſtigare difficile eſt. Verum, quemadmodum Iuliana forma tanto poſt urbem conditam intervallo uſurpari coepta propter anni commoditatem προληπτικῶς ad anteriora tempora porrigitur; ita et Palilia, ſive Natalis Urbis, fictione quadam in Aprilis XXI. die retinetur. Quin etiam poſt eundem Iulianum annum receptum, qui a Kalend. Januariis orditur, annorum Urbis epocha ab iisdem Kalendis fere procedit; niſi aliter Scriptores quosdam intellexiſſe, certis ex coniecturis poſſit colligi. Ad haec, varia annorum civilium initia conſideranda ſunt, ut in Olympiadico anno. Nam plerique, ut anni popularis, ita et Romani, Urbisque conditae primordium ab autumno deducunt.* Quae docte ab eo obſervata.

LXXX. *Anni Capitolini et Frontiniani.*

Anni *Capitolini* ſic dicti quod Verrius Flaccus in Faſtis Capitolinis eos uſurpet, exordiuntur anno Periodi Graeco-Romanae 4742. Cyclo Solis XIV. D. Lunae X. Indict. II. anno quarto Olympiadis ſextae, eo-

que finiente. Tertia Urbis Epocha incipit anno Periodi Graeco-Romanae 4743. Cyclo Solis XV. C. Lunae XI. Indict. III. anno primo Olympiadis ſeptimae, eoque deſinente. *Frontinianam* eam appello, quia ea utitur Frontinus, qui Imperatoris Nervae tempore floruit, in egregio libello *de Aquaeductibus Urbis Romae.* In Prolegomenis ad *Diſſertationem Hypaticam* num. XV. de hac Era locutus ſum, poſt quam in lucem emiſſam Noriſius in *Epiſtola Conſulari* pag. 17. in dubium revocavit, an *Frontinus* diverſam a Varroniana epocham uſurparit; illud tamen extra controverſiam eſſe debet. Docet Frontinus lib. I. Conſulatum Caeſaris Auguſti v. g. M. Lelio Volcatio Collega incidere in annum Urbis DCCXIX. qui tamen Conſulatus, ut recte vidit Onuphrius; concurrit cum anno urbis Varroniano DCCXXI. Inſuper Conſulatum M. Plautii Hypſaei et Fulvii Flacci Frontinus cum anno Urbis DCCXXVII. copulat, qui tamen pertinet ad annum urbis Varronianum DCCXXIX. ut legitur eo anno apud Onuphrium. Denique Frontinus annum Urbis DCVIII. cum Conſulatu Servii Sulpicii Galbae et L. Aurelii Cottae connectit; cum tamen anno Urbis Varroniano DCX. uterque Faſtis nomen dederit, ut eſt apud Onuphrium. Quando itaque Frontinus ait: *Caius Caeſar altero Imperii ſui anno*, M. Aquilio Juliano, P. Nonio Aſprenate Coſſ. anno Urbis conditae DCCXC. duos ductus inchoavit; apparet, errorem in numeros irrepſiſſe, legendumque, anno Urbis conditae DCCIXC. Nam ſecundus Caii Caligulae annus inchoatur die XVI. menſis Martii anni Chriſti triceſimi octavi, quo annus Urbis Varronianus ſeptingenteſimus nonageſimus primus a Kalendis Jannariis in curſu erat. Scriptores enim Hiſtoriae Auguſtae annum Urbis cum Conſulatu de more incipiunt, ut mox dixi. Quod non animadvertit Noriſius, cum loco citato dicat, duos illos ductus inchoatos inter diem XVI. Martii et XXI. Aprilis, quo annum Urbis Varronianum DCCXCI. coeptum fuiſſe exiſtimat. Nam praeterquam quod Frontinus Era Varroniana nunquam utitur, anni Urbis de more cum Conſulibus inchoati, imo et a Scriptoribus Orientalibus ab autumno cum anno populari aliquando competiti; ſaltem id de aliarum Erarum annis negari non poteſt. Hanc numerandi rationem a Frontino uſurpatam, qui eum notis illuſtrarunt, cum non obſervaſſent varios annos Urbis in nobili illo Opuſculo corruptos emendare non potuere. Onuphrius lib. I. Faſtorum pag. 18. mentionem facit variorum Antiquorum, qui primo anno ſeptimae Olympiadis deſinente Urbem fuiſſe conditam credidere, nulla Frontini mentione facta; quem tamen hanc ſententiam tenuiſſe alibi ſupponit.



LXXXI.

*Anni Urbis ſecundum Fabium Pictorem.*

Onuphrius loco laudato dicit, Q. Fabium Pictorem in Annalibus recte ſcripſiſſe, Urbem conditam primo octavae Olympiadis anno, inchoato anno Periodi Graeco-Romanae 4746. Quam opinionem Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. ad annum Periodi Julianae 3966. amplectitur; utque cum eo Periodi Julianae anno opinionem ſuam illiget, putat, ex Fabii Pictoris ſententia, ante initium Olympiadis VIII. in feſto Palilitio, XI. Kalend. Maii urbem a Romulo condi coeptam eſſe. Verum Solinus cap. 2. eam opinionem referens, dicit tantum, Romam octava Olympiade conditam Pictori placuiſſe, nulla diei Urbis natalis mentione facta. Sub-

iungit Onuphrius: *Animus aliquando fuit Pictoris annorum rationem in dirigendis meis Faſtis ſequi, quam certe, niſi veram, ceteris tamen omnibus certiorem eſſe exiſtimo. Verum, cum viderem omnes quotquot extant Hiſtoriae Romanae Scriptores, vel Varronianam ſententiam ſequi, vel uno aut altero anno tantum ab eo recedere, id facere omiſi, ne dum hac ipſa annorum ſerie eos illuſtrare nitor, ipſos potius confunderem propter vulgo receptam annorum Varronis rationem, quam omnes fere, praeter admodum paucos, ſequi liquet.* Ad quemadmodum qui Eram Chriſtianam ab anno Juliano XL. vel inſequenti exordiretur, quod eam opinionem longe Dionyſiana probabiliorem arbitraretur, omnia ſusdeque verteret: ſic Onuphrius, ſi conſilium illud executus fuiſſet, in magnam reprehenſionem incurriſſet. Poteſt igitur quilibet ſententias ſibi probabiliores viſas amplecti, non item ab Eris ſemel receptis recedere.

LXXXII. *Anni Nabonaſſari.* Epocha Nabonaſſari apud Ptolemaeum aliosque Aſtronomos frequenter occurrit: apud Auctores Eccleſiaſticos nunquam. Quare licet ea celeberrima ſit, heic tamen breviter de illa agam. Fuit Nabobonaſſarus Chaldaeorum Rex, a cuius primordio Babyloni novam Eram inſtituerunt, et ab illis eam Aegyptii accipere. Eius exordium eſt in anno Periodi Graeco-Romanae 4747. Februarii die XXVI. feria IV. ante Chriſtum 747. Annorum Nabonaſſareorum ea conditio eſt, ut quarto quoque vertente, caput anni retro abeat, et unum anticipet diem. Exempli gratia: primus dies Thoth, qui ſemper primus eſt Aegyptiorum menſis, incipiat hoc anno Kalendis Januariis, poſt annos IV. incipiet Decembris XXXI., poſt VIII. Decembris XXX, et ita deinceps. Hinc annus iſte

*Vagus*



*Vagus* appellari conſuevit. De hac Era videndus Petavius parte 2. Rationarii Temporum lib. I. cap. 12. ubi fuſe eam explicat.

LXXXIII. *Anni Philippi et mortis Alexandri.* Proxima deinde epocha *a morte Alexandri* ducitur, quae et titulo annorum Philippi memoratur. Georgius Syncellus reprehendens Panadorum, quod anno mundi 5493. Incarnationem illigarit; ait: *Cuius ille erroris occaſionem habuit, ex eo quod in anno primo Philippi Aridaei, qui Alexandro Macedoni primus in regnum ſucceſſit; eodem videlicet, in quo et Claudius Ptolemaeus expeditorum Canonum ratiocinia defixit; initium ſtatuit Aegyptiaci anni, atque Graeci, in prima die Thoth, primi Aegyptiorum menſis Auguſti XXIX; quod ad eandem epocham revolvitur. Hoc vero tempus citra controverſiam anno mundi 5170. tribuitur.* Quae accurate in multis a Panadoro ſcripta fuerant; ſed a Syncello non intellecta, ut mox videbimus. Cum itaque Periodus Graeco-Romana aliud non ſit, quam Era mundana Panadori ad annum Julianum accommodata, liquet, epocham annorum Philippi et mortis Alexandri conſignari in Periodo Graeco-Romana. 5170. Cyclo Solis XXII. A. Lunae I. Indict. X. licet Alexander Magnus menſe Maii anni inſequentis obierit, ut in *Apparatu* ad Criticam noſtram diximus. Liquet ſecundo; eam Eram *Philippi* appellatam, non a Philippo Alexandri M. parte, ut putabat Scaliger, ſed a Philippo Aridaeo Alexandri Magni ſucceſſore nomen illud ſortitam eſſe. Neomenia Thot poſtea fixa fuit, et Aegyptiacus annus vagus, ac ſolutus, anni Juliani fraenis cohibitus eſt, ut infra oſtendam. Annus a morte Alexandri Julianus a Kalendis Octobris, vagus vero a XII. Novembris, quando ſcilicet hic inchoatus eſt, initium ſumit.

Cum

Cum porro Era Chriſtiana incipiat in anno ab obitu Alexandri CCCXXIV. ad eruendos annos Chriſti, ex huiusmodi Era abiicienda ſemper anni illi CCCXXIV. Denique notanda hallucinatio Georgii in verbis eius citatis: qui cum ſequatur Eram mundanam Alexandrinam, ideoque annum primum Philippi et mortis Alexandri cum anno mundi 5180. iungere debuiſſet, laudat tamen Panadorum, in eo quod eum Philippi annum cum anno mundi 5170. copularit, non advertens, Panadorum Erae mundanae Antiochenae ſectatorem iuxta propriam ſententiam recte calculos poſuiſſe, ideoque fuiſſe tunc in curſu apud Alexandrinos annos mundi 5180. cui ſi adiicias annos Philippi et mortis Alexandrini CCCXXII. qui fluxerunt ante Julianum XLIII, mundique 5501. quo Georgius Chriſtum incarnatum putavit, colliges annum mundi 5501. alioquin habebis tantum annum 5491. idque accurate ſecundum ſententiam Panadori, ſed male ſecundum ratiocinia Georgii. Is annus mundi 5170. Georgio probatus, fuit unum ex fundamentis, quibus Petavius in Auctario lib. 8. cap. I. innixus ſcripſit, *Georgium*, S. maximum, aliosque Incarnationem Chriſti cum anno Juliano LIV. annoque mundi 5501. coniunxiſſe, quia ſcilicet non obſervarat errorem Georgii, qui numerare debebat annum mundi 5170. uti dixi.

LXXXIV. *Anni Seleucidarum.* Graeci duodecim poſt Alexandri Magni obitum annis, adeoque ſub Seleucidarum Imperio; novam Eram inſtituerunt, ab eo tempore deductam, quo Seleucus in Aſia regnare coepit. Eſt is annus Periodi Graeco-Romanae 5182. Cyclo Solis VI. G. Lunae XIII. Indict. VII. Dicitur Alexandrea, quod ab Alexandri M. ſucces-



ſoribus inſtituta fuerit. Vocatur, & ab Arabibus Era *Dbilkanain*, ſeu *Tericb Dbil-karnain*, id eſt, *babentis duo cornua.* In Syrorum certe Nummis eſt effigies Regis imberbis, cornibus arietinis, et Orientales Reges in honorem Alexandri Alexandrum ipſum cornuta ſpecie Nummis ſuis imprimebant, quod Alexander ſe filium Ammonis ſive Jovis Cornigeri exiſtimari voluiſſet. Denique Judaei eam Eram *Contractuum* appellant; forte quod illam ad obſignandos contractus adhiberent. Duplex eſt autem horum annorum initium. Ab aliquibus enim a verno tempore, et a Niſan Judaico; ab aliis vero ab autumno et Tiſri inchoantur. Praeterea interdum Lunares anni; interdum Juliani uſurpantur et fixi. In libro primo Machabaeorum anni *Graecorum* a verno menſe: in poſteriore ab autumno ſequenti progrediuntur. Obſervat autem Vaillantius Vir clariſſimus in *Hiſtoria Regum Seleucidarum*, Syriae Reges ab Aequinoctio verno annum incepiſſe; quod inde colligit, quod Antiochenſes in averſa Numiſmatum ſuorum parte ſignum arietis cum Sole coniunctum exprimere ſoliti eſſent. *Antiochia* autem totius Syriae Metropolis erat. In Hiſtoria Eccleſiaſtica aliquando haec Era occurrit, eaque Chriſtiani Syri et Arabes etiamnum utuntur.

Albategnius Aractenſis, celebris Mathematicus, Eram *Dilkarnain*, ſeu Seleucidarum, cum Syris ſuis ab initio menſis *Elul*, ſive Septembris inchoat; quod cum non animadvertiſſet Petavius lib. 10. cap. 12. putavit, Albategnium anno vago *Dilkarnain* uſum eſſe; licet conſtet, eum annos Julianos ac fixos uſurpaſſe. Ait enim Petavius: *Aequinoctium autumnale, quod anno Chriſti DCCCLXXXII. Albategnius obſervavit, Septembris die XIX.* LXXXV. *Aliquando a Kalend. Septemb. inchoati.*

 *depre-*

*deprehenſum eſſe memorat anno Dilkarnain MCXCIV., poſt Alexandri mortem MCCVI. Non poteſt annus Dilkarnain eſſe Julianus, quippe annus Chriſti DCCCLXXXII. eſt Periodi Julianae 5595. de quo detractis 4401. relinquunt 1194. ut ab Octobri anni 5595. inierit annus 1194. Atqui currebat hic ipſe annus Auguſto menſe, qui Octobrem anteceſſit. Fuerit igitur annus Dilkarnain iſte vagus, et a Thoth Nabonaſſareo coeperit oportet, qui Januarii XV. anni Chriſti DCCCLXXXII. congruit.* Ita Petavius. Verum annus ille *Dilkarnain MCXCIV.* coeptus eſt anno Chriſti DCCCLXXXII. non a die XV. Januarii, ſed a Kalendis Septembribus eiusdem Chriſti anni, ideoque die XIX. Septembris, in quem Albategnius illud Aequinoctium confert, iam in curſu erat, licet Auctores, qui hanc Eram in annis fixis adhibent, communiter annum a menſe Octobri exordiantur.

LXXXVI. *Anni Antiocheni.* Era *Antiochena*, cuius frequens apud Graecos Annalium Scriptores mentio, procedit ab anno Periodi Graeco Romanae 5445. Cyclo Solis XVII. AG. Lunae X. Indict. XV. Eius caput a Kalendis Octobris Scaliger, Calviſius, Petavius, aliique paſſim repetunt. Sed, ut recte Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. annos Antiochenos incipere a Kalendis Septembris extra omnem poni debet controverſiam. Quod licet ipſe nullo argumento probet, heic tamen ex Evagrio oſtendam, et in ſecundo Tomo *Criticae ad Annales Eccleſiaſticos* magis confirmabo. Evagrius lib. 2. cap. 12. loquens de terrae motu, quo Antiochia concuſſa, ait: *Anno ſecundo Imperii Leonis, ingens terrae motus ac ſuccuſſio contigit Antiochiae. Accidit autem ingens haec calamitas anno quingenteſimo ſexto a conditu Vrbis Antiochiae, circa horam noctis quartam, die quarto decimo menſis Gorpiaei, quem Romani*

Septem-



*Septembrem vocant; imminente die Dominico, Indictione undecima.* Baronius & Valeſius in Notis ad Evagrium hunc terrae motum ad annum Chriſti CDLVIII. referunt, exiſtimantes, annos Antiochenos ante Kalendas Octobris non incipere; neque advertentes, loco, *anno ſecundo Imperii Leonis*, legendum eſſe, *anno primo Imperii Leonis.* Evagrius itaque, cum terrae motum factum eſſe dicat *Indictione XI.*, quae Kalendis Septembris anni Chriſti CDLVII. inchoatur, manifeſte oſtendit, ſe annum a Kalendis Septembribus exordiri; ſi enim anno inſequenti CDLVIII. illum contigiſſe putaſſet, non indictionem XI. ſed indictionem XII. numeraſſet, ut manifeſtum eſt. Praeterea dicit, illum accidiſſe *circa horam noctis quartam*, die XIV. Septembris, *imminente Die Dominica*, die nempe Sabbathi, quae anno Chriſti CDLVII. cum die XIV. Septembris concurrit: erat enim littera Dominicalis F. ſenſere difficultatem Scaliger, Calviſius et Petavius, quam ut ſuperarent, verba Graeca Evagrii corruperunt, et hoc modo verterunt: *Illuceſcente die Dominico, die XIV. Septemb.* quaſi terrae motus non die Sabbathi exeunte, ſed die Dominico incipiente accidiſſet. Verum prava haec verſio; cum Graecus Evagrii textus habeat ἐπικαταλαβούσης ἡμέρας, id eſt, *imminente die Dominico*, ut recte vertit Valeſius, qui tamen difficultatem Chronologicam non ſolvit. Loquitur itaque Evagrius non de die Dominico, ſed de eo, qui illum antevertit. In annis Antiochenis, qui poſt Chriſtum natum fluxere, habetur Era Chriſtiana, poſtquam XLVIII. qui eam anteceſſere, abieciſti.

LXXXVII. *Anni Auguſtorum Aegyptiaci.*

Anni *Actiaci* ſive *Auguſtorum*, ut Cenſorinus lib. de Die natali appellat, vel ut Ptolemaeus, *Imperii Auguſti*



non

non ab anno ipſo Actiacae victoriae, ſed a ſequenti inchoantur apud Aegyptios; et quidem a XXIX. menſis Auguſti anni Periodi Graeco Romanae 5464. Cyclo Solis VIII. E. Lunae X. Indict. IV. Erat quidem dies XXXI. Auguſti, ſed iuxta vitioſam intercalandi rationem Romae tunc uſurpatam Auguſti XXIX. dies dicebatur. Alii Epocham hanc applicant, ad annum vagum Aegyptiorum, aliique ad annum fixum Alexandrinorum. Deſultorii itaque et retrogradientis anni forma usque ad cladem Antonii et Cleopatrae Aegyptii uſi ſunt; et poſtea cum iugo Romano modum pariter anni Romani, ſeu Juliani, imitati ſunt; licet non defuerint apud eos Scriptores, qui antiquam anni formam retinuerint.

LXXXVIII. *Anni Auguſtorum Romani.*

Anni *Auguſtorum* Romani, quorum Cenſorinus meminit, teſtaturque eorum initium procedere ex Calendis Januariis anni, quo Conſules fuerunt Auguſtus VII. et Agrippa III. proficiſcuntur ab anno Periodi Graeco-Romanae 5467. Cyclo Solis XI. A. Lunae XIII. Indict. VII. Inſtituta ea Era, cum omne Populi Senatusque Imperium ad Auguſtum translatum eſt. Mitto alias Epochas, utpote minus uſitatas, et huic diſſertationi finem impono.

HEN-



## HENRICI LEONARDI SCHURZFLEISCHII Problemata. quae uſum Diſſertationis commonſtrant.

### Problema I.

*Periodum Antiochenam, quae ἐνσάρκωσιν, ſive Incarnationem Chriſti reiicit in annum Iulianum XLV. cum quo Natalis Chriſti Dionyſianus connectitur, atque in annum mundi 5493. confert, Iulianam et Romanam efficere, additis ſimul cyclis, et ad Latinorum uſum accommodatis.*

Ἐξήγησις.

Annus 5493. non ut Orientales a Menſe Septembri, ſed a Kalendis Januariis una cum Latinis inchoandus eſt: deinde e cyclo Lunae, quem iſte annus reddit, unitas abiicienda, et cyclo Solis ex perpetua huius inſtituti regula quatuor unitates addendae: Indictio autem retinenda. Annus vero Antiochenus non a Kalend. Octobr. ut vult Scaliger, ſed a Kal. Sept. ordiendus.

E. g. *Datur Annus 5493. Periodi Antiochenae. cum quo Natalis Chriſti Dionyſianus connectitur: Reducatur iſte ad Periodum Graeco-Romanam, et cycli ad latinorum uſum accommodentur.*

5 | Cyclus ☉lis.
5493 | 196
28

2 | Cyclus ☽nae.
5493 | 289
19

3 | Indict.
5493 | 396
19

| ☉lis. | ☽nae. | Ind. |
|---|---|---|
| 5 | 2 | 3 |
| 4 A. | 1. S. | |
| 9 | 1 | 3 |

*Cycli ad Latinorum uſum accommodati. Sic periodus Antiochena ad Romanam redacta erit, modo annus a Kal. Ianuar. inchoetur.*



Secun-

Secundum vero ductum Scaligeri ita rationes ſubducendae forent pro cyclis inveniendis in P.I.

E. g. *Datur annus Periodi Julianae 4713. quo cum Natalis Chriſti connectitur: Quaerantur propoſiti anni tres characteres Cyclici.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | ☉ | | 1 | ☽ | | 3 | Indict. |
| 4713 | 168 | | 4713 | 248 | | 4713 | 314 |
| 28 | | | 19 | | | 15 | |

Sic habes rurſus eosdem cyclos nimirum Solis 9, Lunae 1. Ind. 3. ut antea in Periodo Graeco-Romana, inventos.

Aliud *Datur Annus Periodi Antiochenae 5597. Quaeratur annus in Periodo Graeco Romana una cum cyclis huic conveniens.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 25 | Cyclus ☉ | | 11 | Cyclus ☽ | | 2 | Indict. |
| 5597 | 199 | | 5597 | 294 | | 5597 | 373 |
| 28 | | | 19 | | | 15 | |

| ☉ | ☽ | Ind. | |
|---|---|---|---|
| 25 | 11 | 2 | |
| 4. A. | 1. S. | | |
| 29 | 10 | 2 | *Cycli ad Latinorum uſum translati. Annus enim idem manet, modo initium ſumas a Kalendis Ianuariis.* |
| 28. S. | | | |
| 1 | 10 | 2 | |

Secundum ductum Scaligeri.

*Datur Annus Periodi Julianae 4817. qui reſpondet anno Periodi Graeco-Romanae 5597. Quaerantur cycli tres.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | Cyclus ☉ | | 10 | Cyclus ☽ | | 2 | Indict. |
| 4817 | 172 | | 4817 | 253 | | 4817 | 321 |
| 28 | | | 19 | | | 15 | |

Sic habes rurſus eosdem cyclos Solis nimirum 1. Lunae 10. Ind. 2.

Pro-



## Problema II.

*In Graeco-Romana Periodo, quae numerum 5493. cum Natali Chriſti coniungit tres Graecorum Mundi Epochas utpote Antiochenam, Alexandrinam, et Conſtantinopolitanam exhibere.*

Ἐξήγησις.

Dato anno 5493. decem addendi ſunt, ſic fiet, ut ſumma inde proveniens, annum Periodi Alexandrinae convenientem oſtendat. Sed ſi ſedecim propoſito anno 5493. periodi Graeco Romanae addas, ſumma inde confecta dabit annum in Epocha Conſtantinopolitana huic reſpondentem. Antiochena vero eſt eadem, quae P.G.R. modo cyclorum et anni initii ratio habeatur.

E. g. *Tiberius Auguſtus Anno Periodi Graeco Romanae 5530. Cyclo Solis 18. Lunae 19, Indict. 10. vitam cum morte commutavit; Quaerantur anni trium harum Mundi Epocharum a Graecis uſurpatarum, propoſito anno convenientes.*

*Pro anno Epochae Mundanae Antiochenae inveſtigando.*

5530 Eſt idem annus, qui in Periodo Graeco-Romana datus, modo anni initium capias a Kalend. Septemb. et cyclos uſurpes, quos reddit, nimirum Solis 14. Lunae 1. Indict. 10.

1 Subtr. propterea quod menſe Martio et quidem

5529 XVI. die teſtibus Suetonio in Tiberio, et Tacito l. VI. Annalium deceſſerit. Non vero, ut *Dio* vult l. 58. Sexto Kal. Aprilis.

*Pro anno Erae Alexandrinae Mundanae inveniendo.*

5529

10 A.

5539 Annus in Era Alexandrina Mundi quaeſitus.

*Pro*

*Pro anno Erae Conſtantinopolitanae.*

5529
16 A.

5545 Annus in Era Conſtantinopolitana quaeſitus.

Aliud. *Legitur apud Joſephum l. VI. et VII. de bello Judaico, Hieroſolymam a Tito captam, quae clades ad periodum Graeco-Romanam revocata, annum in ea exhibet 5563. Solis cyclum 23. Lunae 14. Ind. 13. Quaerantur anni trium harum mundi Epocharum huic reſpondentes.*

*Pro anno Epochae Mundi Antiochenae.*

5563 Idem eſt annus, qui periodi Graeco-Romanae, modo initium huius anni a Kalendis Septembribus ſumas, et cyclos uſurpes, quos reddit, nimirum Solis 19. Lunae 15. Indict. 13.
1

5562

*Pro Anno Erae Alexandrinae Mundi.*

5562
10

5572 *Annus in Era Alexandrina quaeſitus.*

*Pro Anno Erae Mundi Conſtantinopolitanae.*

5562
16

5578 *In Era Conſtantinopolitana quaeſitus.*

Aliud. *Mortuus eſt Conſtantinus M. Anno periodi Graeco-Romanae 5830. Cyclo Solis 10, Lunae 15, Indict. 10. Quaerantur hae tres Epochae mundanae.*

*Pro Anno Erae Mundanae Antiochenae, quae et a Scaligero etiam Era Conſtantinopolitana Lunaris appellatur.*

5830 Annus in Periodo Antiochena quaeſitus. Quia enim mortuus XI. Kal. Jun. ut ait Idatius in Faſtis, unitas ſubtrahenda.
1

5829

*Pro An-*



*Pro Anno Erae Alexandrinae.*

Nota. Quia annus in exemplo dato eſt poſt initium Diocletianei Imperii, Epocha Mundi Antiochena et Alexandrina una eademque eſt. Quae ratio movet auctorem, ut Scaligerum notaret, qvum is in *libro de emendatione temporum* ſub finem ait. Exactum hoc opus Epocha Alexandrina, vel ut Scaliger eam appellat, epocha Orientali 7098. cum tamen in dato exemplo, ut dixi, eadem ſit, quae Antiochena, quam Conſtantinopolitanam Lunarem nominat. Nec Petavius ad auctoris noſtri ſententiam accedit: ille enim putat Antiochenam Eram et Alexandrinam unam eandemque eſſe, nec differre, niſi verbis et conſignatione primi anni incarnationis in eiusdem computi annis.

*Pro Anno Epochae Conſtantinopolitanae.*

5830
16

5846 *Annus in Epocha Conſtantinopolitana quaeſitus, quae et Conſtantinopolitana Paſchalis a Scaligero appellatur, quod propter lectionem librorum a Scaligero editorum obſervandum.*

1 Vnitas demenda, ut antea admonitum.

5845

Secundum ductum Scaligeri.

*Datur annus Periodi Julian. 5050. qui reſpondet anno dato periodi Graeco-Romanae 5830. Reducatur ad duas Graecorum Mundi Epochas, nimirum ad Antiochenam et Conſtantinopolitanam. Alexandrina enim eadem eſt, quae Antiochena, quia datus annus eſt poſt Initium Imperii Diocletianei. Cycli hic iidem ſunt, qui in Periodo Graeco-Romana, quod vel inde conſtat, ſi annum periodi Iulianae datum per 28. ad cyclum Solis inveniendum dividas, et pro Cyclo ☽ inveſtigando idem per 19. peragas.*



*Pro*

*Pro anno Epochae Antiochenae Mundanae.*

5050. 8
779. 4A.
5830. 0. *Annus Antiochenae Periodi huic reſpondens quaeſitus.*

*Pro Anno Epochae Conſtantinopolitanae.*

5066. 8
779. 4A.
5846. 0 *Annus Periodi Conſtantinopolitanae quaeſitus.*

*Datur annus Chriſti 337. qui reſpondet anno Periodi Graeco-Romanae 5050. quo Conſtantinus obiit. Quaerantur anni Graecorum reſpondentes in Antiochena et Conſtantinopolitana.*

*Pro Anno Periodi Antiochenae.*

337
1
338
5494 A.
5832
2
5830 *Annus in Era Antiochena quaeſitus.*

*Pro Anno Periodi Conſtantinopolit.*

337
1
338
5508
5846 *Annus quaeſitus in Era Conſtantinop.*

*Pro Cyclis inveniendis Solis et Lunae, pro anno Antiocheno.*

6 | Cyclus ⊙
5830 | 208
28

16 | Cyclus ☽
5830 | 306
19





*Pro Cyclis inveniendis Solis et Lunae, in anno Conſtantinopolitano.*

22 | Cyclus ⊙
5846 | 208
28

15 | Cyclus ☽
5830 |
19

Δοκιμασία.

*Rectae inſtitutae connexionis annorum beneficio Cycli Indictionis.*

Primum exemplum Problematis II. erat tale. Tiberius Auguſtus Anno periodi Graeco-Romanae 5530. Cyclo Solis 18, Lunae 19, Indict. 10. vitam cum morte commutavit. Vbi inveſtigandi erant anni trium harum mundi epocharum a Graecis uſurpatarum propoſito anno convenientes. Reſpondebat pro anno epochae Antiochenae idem iſte annus. 5529. pro Anno Epochae Alexandrinae 5539. pro anno Epochae Conſtantinopolitanae 5545. De ſingulis enim Eris unitas demenda eſt, propterea quod menſe Maio deceſſerat Conſtantinus ſub finem anni. Nam Graecis a Septembri annos numerantibus Maius ad anni finem properabat. Vt nunc intelligas rationes recte eſſe ſubductas: ſumatur annus in propoſito exemplo datus PGR. 5530. cui annus Alexandrinus 5540, Conſtantinopolitanus vero 5546. inchoatus reſpondet, et beneficio cycli indictionis negotium conficiatur.

| | |
|---|---|
| *Cyclus Indict. Anni PGR.* | 10 |
| *Cyclus Indict. Periodi Antiochenae* | 10 |
| *Cyclus Indict. Epochae Conſtantinopolitanae* | 11 |
